

Caspar Bartholin

**Casp. Bartholini Enchiridion Ethicum Seu Epitome Philosophiae Moralis :  
Praecepta breviter & dilucidè, methodoq[ue] novâ & facili explicata exhibens Pro  
angustâ tyronum memoriâ**

Rostock[ij]: Hallerfordeus, 1616

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729551369>

Druck Freier  Zugang





Ev-3174.<sup>1.2</sup>





CASP. BARTHOLINI  
ENCHIRIDION  
ETHICUM.

SEU

EPITOME

PHILOSOPHIÆ MORALIS

*Præcepta breviter & dilu-  
cidè, methodoq; novâ & facili ex-  
plicata exhibens*

Pro angustâ tyronum memoriâ.

os so

ROSTOCHI

*Apud Joannem Hallersfordicum  
Bibliopolum.*

ANNO M. DC. XVI.

El 3174<sup>1.2.</sup>

Serenissimi & Potentissimi  
Regis Danie &c.

DN. CHRISTIANI  
IV. FILIO, ILLUSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

Dn.

HULDERICO  
Hæredi Norvegiæ, Duci  
Slesvici, Holfatiæ, Stormariæ,  
& Ditmarsiæ &c.

*Hanc virtutum coronam humillimo  
studio consecrat*

C. BARTHOLINUS.

Ex

Bibliotheca  
Academice  
Rostochiensis

PROOEMIUM DE  
DEFINITIONE ET DIVI-  
sione ETHICES.



ETHICA EST  
habitus mentis activus  
hominem informans  
virtutibus (vel bonis mo-  
ribus, secundum rectæ rationis nor-  
mam, ad consequendam civilem  
felicitatem.

*Definitum Græcis à moribus nomen  
accepit, unde & Latinis Philosophia  
moralis, pars nempe Philosophiæ pra-  
ctica sive civilis cōmuniō, cujus prin-  
cipia tradit & fundamenta, atq; in  
genere viri boni cujuscunq; vitæ gene-  
ris aut status sit, describit officium: re-  
liquæ vero duæ Philosophiæ practicæ  
partes specialiores sunt. Politica enim  
Rempub. Oeconomica domum & fami-  
liam gubernat.*

A. 2

Deq.



Definitio causis constat omnibus.  
Eam tamen ἀκριβέως in practica Phi-  
losophia tractatione non reperies, quam  
ostentant disciplina Theoretica. Ideo  
respectu certitudinis demonstrativa,  
atq; etiam objecti, theoretica Philosophia  
est prestantior; Practica verò pra-  
stantior est respectu usus in vita com-  
muni.

Genus (quo forma Ethica insinua-  
tur) est habitus mentis activus,  
vel prudentia, que Aristoteli est ha-  
bitus cum recta ratione activus,  
in ijs laborans, que virtutes attinent  
& vitia, quaq; in consultationem  
cadunt. Est enim disciplina opera-  
trix, non autem ποιητικὴ seu facti-  
va, ars dicta, ob causas in Enchiridio  
Logico de genere Logica adductas. Er-  
gò ποιητικὴ seu activa. Quod si for-  
mam Ethicæ cum nonnullis in methodo  
queras; est hæc analytica, progrediens  
à fine

à fine vel finis notione ad media eò dis-  
centia: nam in operatricibus discipli-  
nis ultimum in cognitione est primum  
in opere, & vice versa. Vide Enchir.  
Log. part. prop. cap. 2. de methodo, &  
Janitores Logicos Jan. 1. quest. 102.  
& seq.

Materia in qua, seu subjectum o-  
perationis est homo quatenus, bea-  
bilis ( ut loquuntur ) vel beari potest  
summo bono civiti ; & ut libere agis,  
bonisq; morib; excoli potest. Specialius  
hoc subjectum aggrediuntur alij, dum  
appetitum vel voluntatem informan-  
dam inculcant: nos voluntatem ponis-  
mus, ut infra docebitur.

Materia circa quam, seu objectum  
sunt actiones humanae liberae or-  
dinatae in finem, hoc est, quate-  
nus per eas viri probi reddimur. In-  
tellige actiones voluntarias, quae fieri  
possunt: hoc vel alio modo, bis vel alijs.

circumstantijs, &c. Hinc inscriptio  
hujus discipline est de moribus. Mo-  
res autem sunt humanæ actiones  
certo modo formatæ.

Efficiens est norma rectæ ratio-  
nis. Hinc differt Ethica à Theolo-  
gia informante quidem hominem, e-  
jusq; actiones, at non secundum nostræ  
rationis tenorem, sed legum divinarum  
prescriptum. Ethica itaq; addiscenda,  
non ut per eam Christianus, sed Philo-  
sophus evadas: quamvis & Theologo  
futuro sit utilissima, ut in virtutum de-  
finitionibus & divisionibus, &c. Inte-  
rim differunt virtutes Ethica & Chri-  
stiane. 1. Subiecto. Ha non sunt nisi in  
pijs & regeneratis: Ille in omnibus ef-  
se possunt, etiam Ethnicis. 2. Modo ac-  
quirendi. Ha à Deo infunduntur modo  
supernaturali & gratuito: illa crebris  
exercitijs generantur, ut alij natura-  
les

les habitus. 3. Fine. Illarum est magis  
in externa disciplina situs : harum in-  
ternus, gloria DEI & interna cordis  
erga DEum obedientia.

Finis Ethica internus est homi-  
nem bonis moribus seu virtutibus  
informare. Externus est felicitas  
seu beatitudo politica, id est, sum-  
mum bonum civile.

Dividitur Ethica in partem  
communem & propriam.

Pars communis seu generalis est  
quæ de fine Ethica, summo hominis  
bono videl. agit : εὐδαιμονολογία  
illa pars nonnullis dicitur. Nos verò  
in parte communi de omnibus qua-  
tuor causis virtutum agemus.

1. De fine, videlicet summo bono civi-  
li. 2. De efficiente, actionibus huma-  
nis, & principijs. 3. De materia vel  
objecto virtutum, nimirum affectibus.

A 4

4. De

4. De forma virtutis, adeoq; de ijs que definitionem & divisionem virtutis genericè considerate attinent.

Pars propria de virtutibus ordine agit, ideo ἀπερολογία dicta.

Quam universam doctrinam Ethicam nemo accuratius ex veteribus conscriptam nobis reliquit, quàm mundi miraculum illud, Aristoteles, operibus pluribus, qui recenset Laertius; quorum tamen non nisi quatuor ad nos pervenere: De virtutibus libellus, magnorum moralium libri 2. Ethicorum Eudemiorum 7. & Nicomachiorum 10. Atq; hi postremi absolutiores sunt.

---

PARTIS COMMUNIS

CAP. I.

De summo bono civili, seu beatitudine politica.

**F**ELICITAS seu beatitudo civilis

vilis est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.

Dari aliquem ultimum actionum <sup>finis</sup> humanarum finem, hoc est, summum bonum (finis enim habet rationem boni, & vice versa, cum nihil appetamus nisi bonum, vel verum vel apparens) patet, cum processus causarum itemque humani appetitus aliàs daretur in infinitum.

Definitum est felicitas vel beatitudo, quæ etiam summum bonum dicitur: & hic inquiritur politicum; non Theologicum, quod est ipse Deus.

Genus est operatio vel actio (ad quam homo creatus, non ad otium, sed non quævis, ut non vegetantis vel sentientis animæ, sed rationalis homini propria (incipit differentia definitionis) unde dependet principaliter,

A. S.

ser.

Et ex cum alijs ad totum hominem bea-  
tudo pertineat.

Dicitur secundam virtutem,  
(intellige omnes virtutes vel quam-  
cumq; in summo gradu constitutam)  
optimam & perfectissimam;  
quia felicitas, cujus fundamentum  
virtus, actio est optima & perfectis-  
sima.

Dicitur vita perfecta, qua re-  
quirit 1. aetatis mature iudicium con-  
firmatum, quod in pueris non est. 2. Tem-  
poris diuturnitatem; nam una actio  
non efficit hominem bonum & beatum,  
sed multa aliquot annorum cum vir-  
tutis habitu.

17 Summum ergo bonum vel fe-  
licitas, cum sit aliquid hominis, con-  
sistit in actione virtutis ex babi-  
tu promanante, quia 1. illa soli ho-  
mini competit. 2. Est stabilis & per-  
manens. 3. Propter se expetitur. Di-

cuntur

euntur autem beati qui faciunt secundum virtutem quoties opus est, & commodè fieri potest ( neq; n. liberalis ), qui ubiq; pecuniam erogat, nec fortis qui semper gladium stringit ) nec quiescit vir bonus ignaviae causâ, sed ut alacrius ad officium redeat: immo virtute utitur aut erga seipsum, aut erga alios.

Non itaq; summum bonum est voluptas impura & honesta, ut voluit Epicuri de grege porci ( animi namq; voluptatem ex virtutum actione procedentem, tanquam signum beatitudinis subsequens, ut habet Philosophus, admittimus ( est enim 1. Belvis communis. 2. Non diuturna. 3. Corruptit potius hominem quam perficit. 4. Inde nemo denominatur bonus, nedum summè bonus.

Nec honor. Hic enim 1. non propter se, sed propter virtutem expetitur.

2. Est



2. Est in honorantis tanquam agentis  
potestate, opinione & voluntate; à qua  
cum dependeat, inconstans est.

Nec divitiæ quia 1. non propter se  
sed usum expetuntur. 2. Male ijs uti pos-  
sumus. 3. Sunt damnosa, periculosa, in-  
constantes, nonnunquam male parta,  
ob id Aristoteli violentæ dictæ.

Nec contemplatio communis  
ideæ omnium bonorum; etenim pra-  
cticum quarimus bonum.

Adjuncta vel accidentia summi  
boni faciunt non ad essentiam, sed ex-  
istentiam, splendorem, & bornatum;  
ita ut sublata felicitatem labefactent,  
non tollant; faciuntq; ad felicitatem  
non ut est actio immanens, ad haben-  
tem relata, sed ut est transiens, requi-  
rens externa bona ceu organa, quibus  
virtutum actiones commidius exerce-  
at. Ut sunt corporis sanitas, robur, ar-  
ma,

ma, (que requiruntur ad actiones fortitudinis) opes (ad liberalitatis) que nervi sunt rerum gerendarum; Amici, honesti mempe, quibus cum conversandum, & sine quibus virtutis usus non est illustris.

Concomitantia sunt: Bona fama, seu honesta aliorum de nobis propter virtutem opinio: Bona conscientia, hoc est, jucundus & pacatus animi status, que rectè facta comitatur.

### CAP. II.

#### De Voluptate.

**E**thici omninò est agere de voluptate, hoc q<sup>3</sup> presertim loco. Nam 1. Voluptas est in numero bonorum, quem finem Ethicus considerat. 2. Ethicorum maxima semper fuerunt de voluptate controversia. 3. Cum summo bono voluptas conjuncta est, tanquam signum, accidens inseparabile & finis ulterior.

per

perfecta operationis. Hinc Aristoteli.

Voluptas est perfectæ operationis subsequens signum.

Vel: signum perfectionis operationum benè administratarum ab animalibus, potentiâ objectum aliquod optimum benè & proportionaliter percipiente.

<sup>voluptas</sup>  
<sup>ph. 1. 2.</sup> Atq; ita generalius definitur voluptas, ut non soli homini, sed animalibus etiam alijs competat. Specialior redditur; operationis & potentiæ ad animã rationalem restrictione.

Genus voluptatis rectè Aristoteles negat esse motum; hic n. imperfectus est, voluptas autem ex actione virtutum proveniens perfecta. Est modus potius operationis, vel cum Aristotele, signum perfectæ operationis, sicut corporis venustas est signum sanitatis & florentis ætatis; aliquando latius Philoſopho ipsa operatio.

Effi.

Efficiens est objectum aliquod con-  
veniens, inq̄ suo genere optimum, &c.  
Sensus tantum, ut in brutis; vel intelle-  
ctus, ut in homine; unde voluptas vel  
est corporis, vel animi. Contra doloris  
causa est objectum improporionatum,  
inconveniens vel dissentaneum, ut vi-  
dere est in Exercitat. nostris Philos. &  
Medicis, Exer. 8. Problem. 3.

Subiectum voluptatis in genere est  
animal, in specie voluptatis animi est  
homo.

Finis & boni rationem quodammo-  
do obtinet voluptas; est enim affectio  
quasi quadam summi boni inseparabi-  
lis; neq̄ enim vivit vir bonus & felix  
absq̄ voluptate. Unde Philosophi o-  
mnes vitam beatam jucundam cen-  
sent. Non ergo omnis voluptas ma-  
la.

Dividitur voluptas 1. Utl alia  
sit animi, alia corporis. Ille ani-  
mum;

num: hac corpus afficit & sensus no-  
stros, (satisfaciens natura necessitati vel  
in conservatione individui, ut in cibo  
& potu; vel speciei, ut in venere, &c.  
Est autem voluptas corporis vel ex vi-  
su, vel auditu, olfactu, gustu, vel  
tactu.

2. Alia sunt communes; ut homi-  
ni & brutis ex cibo, potu &c. Alia pro-  
prie, ut uni animalium generi, vel  
certis individuis humanis. Hinc trahit  
sua quemq; voluptas. Et alij alijs dele-  
ctantur.

Sunt autem animi voluptates  
præstantiores quàm corporis.  
1. Ob subjectum præstantius. 2. Quia  
diuturnio res. 3. Numquam habent ad-  
jectum dolorem. 4. Non possunt in ex-  
cessu peccare; uti nec virtus. Pleriq; ta-  
men magis expetunt corporis volupta-  
tes; Nam 1. ba pluribus nota. 2. Et nobis-  
cum quasi enutrita atq; ab utero susce-  
pte.

pta. 3. Magis afficiunt sensus; pleriq;  
verò sensibus grata sectantur. 4. Sine  
ijs speciei aut individui non est conser-  
vatio. Atq; si moderatus earum usus  
est, prout recta prescribit ratio, non  
sunt simpliciter mala. Oppositum verò,  
dolores videlicet sunt mali & molesti,  
saltem quatenus homines ab honestis  
actionibus abstrahunt.

C A P. III.

De actionibus humanis earumq; re-  
quisitis & principijs.

**H**Actenus de sine virtutum ejusq;  
signo. Efficientes causa virtu-  
tum moralium sunt actiones hu-  
manæ voluntaria crebra, ut infra  
docebitur, quæ à voluntate profiscun-  
tur tanquam primo principio, & vir-  
tutis precedunt habitum; quæ verò eun-  
dem sequuntur, oriuntur immediate  
ab habitu, hoc est voluntate habitu.

pre-

prædita; mediatè verò à voluntate.  
N Interim ejusdem speciei sunt actiones  
habitu virtutis præcedentes & se-  
quentes, cum differant tantum secun-  
dum perfectum & imperfectum, &  
convenient in fine (bono honesto) extre-  
mis (excessu & defectu) objecto &  
rectitudine.

Adjuncta verò actionum huma-  
narum in genere quinque sunt Philoso-  
pho in Ethicis: Spontaneum, invi-  
tum, voluntas, consultatio, elec-  
tio. Sic distinctius.

Actio alia est voluntaria, a-  
lia invita.

Voluntaria est quando prin-  
cipium actionis est in ipso agente  
singulas actionis circumstantias scien-  
te. Ejus tria requisita sunt: vo-  
luntas, consultatio, electio, quibus  
includuntur alia. Voluntas presup-  
ponit rei cognitionem, & ne bonum fu-  
catum

catum pro vero appetat, deliberatione  
opus est: quâ factâ, cum certi aliquid  
concluditur, dicitur Decretum (quod  
in consultatione includitur) Electionem  
verò, hoc est, quando voluntas sibi cer-  
ti quid proposuit agendum, sequitur i-  
psa actio.

Spontaneum differt à voluntario,  
ut generale à speciali. Hoc enim soli ho-  
mini; illud brutis tribuitur, immo &  
plantis & inanimatis etiam à Poetis  
& Oratoribus.

Requisita enumerata nonnulli prin-  
cipia actionum humanarum, (ex  
quibus virtus creetur) salutant. Sed  
sufficit unum principium proxi-  
mum & principale, nimirum li-  
bera in agendo voluntas, vel libe-  
rum arbitrium: (hoc mentis nor-  
mam ad quod se conformat, supponit)  
~~humana enim actiones dicuntur,~~ non  
nisi



nisi quae in hominis liberà sunt pote-  
state.

Actio invita est cujus princi-  
pium aliunde provenit. Estq;  
violenta vel imprudens. Vio-  
lenta est cujus caussa externa est &  
potens. Estq; vel absolutè violenta,  
vel secundum quid, ut sit quasi mix-  
ta & media inter voluntariam & in-  
vitam, quando nimirum res per se ma-  
la eligenda non videtur, respectu ta-  
men circumstantiarum bona & eli-  
genda putatur; ut cum mercator  
naufragium metuens in mare pro-  
cellosum merces tuenda vite gratia  
eicit.

Ex hac Philosophi distinctione actio-  
nis in voluntariam, invitam & medi-  
am, discrimen constituunt inter velle,  
nolle, & non velle.

Imprudens est, cum agens i. agit  
per

per ignorantiam circumstantiarum.  
2. Et animo simplici fraudis experte.  
3. Post delictum cognitum ducitur penitentiâ. Atq; actio talis meretur veniam & excusationem, cum fiat per ignorantiam. Sed sciendum hic. 1. Non idem esse per ignorantiam agere, & esse ignorantem. Illud dicitur: cum ignorantia simpliciter est causa princeps totius actionis, adeo ut nisi adesset, agens non ageret. Ut si Groenlandus aliquis vim vini ignorans nimio potu vini inebriaretur. Et ita agens veniam dignus est. Hoc: quando ignorantia non est causa princeps male actionis, sed aliud quod ignorantiam induxit. Ut si quis ebrius committat furtum, homicidium &c. que sobrius fortè non patrasset. Hæc actio non meretur excusationem, cum agens ignorantiam spontè per nimium potum accersuerit.

Enim

II. Aliam, esse ignorantiam juris seu universalem, aliam facti seu particularem vel rerum singularium.

Illam est cum quis ignorat, quod jure scire debebat; ut quid justum vel injustum, eligendum vel fugiendum, que leges hujus vel illius loci. Hic agens excusatione haut est dignus, sed punitur ac si sciens peccasset.

Hec (que veniam meretur) est cum ignorantur circumstantia quaedam singulares facti, que ante actionem praevideri aut praevideri non potuerunt; omnes vero simul ignorari, nisi agens insanus esset. Suntque Philosopho 8. Finis, rei ipsius que agitur, persona, objecti, loci, temporis, instrumenti, modi agendi.

Consultatio seu Deliberatio est mediorum diligens investigatio,

tio, per que in agendo ad finem propo-  
situm pervenitur.

Hujus objectum ergò non est finis,  
sed media ad finem ordinata, in nego-  
tjjs 1. dubijs & incertis 2. Quæ nostrâ  
interfunt. 3. In nostra potestate qua  
sunt.

Ante consultationem vel circa prin-  
cipium præconcipiendus finis certus,  
inq; consilium adhibendi viri boni pru-  
dentis, amici.

In consultatione ipsa vel circa me-  
dium; querenda media ad finem ducen-  
tia, videndumq; multis an paucis opus  
sit; An sint licita, facilia, quæ meliora;  
an soli rem expedire queamus, an assu-  
mendi socij: qui amici sint & fideles.

Circa finem consultationis videndū  
an negotium ita perfici queat, vel non.  
Si non: maturè desistendum. Si potest:  
maturè res aggredienda; ne pericu-  
lum sit in mora. Interim & nimia fe-  
sinor

*stinatio fugiend.: unde illud: festina  
lente.*

Electio est appetitio præmeditata eorum quæ a nobis fieri possunt. Velut Aristoteles: Spontaneum prius deliberatum. Sumitur hic Electio non pro cupiditate, quæ etiam brutis competit, & circa jucundum vel molestum versatur, non circa honestam vel inhonestam, utile vel inutile; nec pro quovis appetitu: Ita enim & finis, & media objecta sunt Electio- nis. Hic verò electio est mediorum tantum, non finis; instar deliberationis, qua cum in dissolubiliter cohaeret. Hinc Aristoteli electio à voluntate distinguitur, quod illa sit mediorum, hæc finis.

Differt à consultatione Electio. 1. Sub-  
jecto: illa est magis facultatis cogno-  
scentis; hæc appetentis. 2. Objecto: illa  
est rerum incertarum & dubiarum,  
hæc

*Hac certarum, ob precedentem consul-  
tationem. 3. Ideo tempore illa precedit,  
hac sequitur.*

*Voluntas est boni vel veri vel  
apparentis cum ratione appetitio.  
Objectum ergo est bonum; cum ma-  
lum quod malum non appetatur.*

*Liberum arbitrium est modus,  
quo voluntas aliquid pro placito  
vult vel non vult, secundum in-  
tellectus iudicium.*

*Est ergo aliquid voluntatis ( qua  
intellectus iudicium semper presuppo-  
nit ) & ejus quidem modus, cum hoc  
modo, nempe liberè, voluntas aliquid  
appetat.*

*Liberum hic intellige, quod in u-  
tramq; partem inclinare potest; Arbi-  
trium, pro voluntatis placito.*

*Esse autem voluntatem nostram li-  
beram in externis & civilibus negotijs  
de Spiritualibus enim hic alienum qua-  
rere)*

B

re)

rere) certum est 1. Experientiâ. Nam  
possunus varia agere vel non agere. 2.  
Ex mundi perfectione, qua continet nõ  
tantum res necessarias, sed etiam eas  
in quibus libertas est & contingentia.  
3. Quia libertas est modus voluntatis  
inseparabilis, quam qui tollit, ipsam  
tollit voluntatem, adeoq; ipsam natu-  
ram humanam. 4. Aliàs frustra essent  
leges, monitiones, objurgationes, pre-  
ces, propositum, deliberatio, institutio,  
premiarum & pœnarũ distributio &c.

#### CAP. IV.

De affectibus in genere.

**H**ucusq; de fine & efficiente virtu-  
tum. Sequitur materia vel ob-  
jectum virtutis moralis, nimirum  
affectus aliquis jucundus vel tristis  
quem Aristoteles per voluptatem &  
dolorem nonnunquam inculcat, quan-  
do circa eam virtutem occupari conten-  
dit. Quivis enim in se experitur vin-

ma

magnam affectuum horumq; sive appetitus cum recta ratione pugnam, ut sepe mente & vitâ privent hominem. Itaq; ad affectus moderandos & medicandos doctrina moralis precepta tradit.

Non tamen eadem est pugna recte rationis & affectuum in homine, cum lucta carnis & spiritus, de quâ scriptura: nam per carnem reluctantem, non tantum vis appetens intelligenda, sed ipsa etiam ratio, quæ in spiritualibus Spiritui repugnat, inimicitia est adversus Deum, nec sapit quæ sunt Dei, nisi domita & captivata.

Est autem affectus passio ob motum cordis à noticia objecti boni, quod prosequitur vel mali, quod fugit, excitatum.

Definitum aliàs perpassio vel perturbatio animi dicitur, quæ vox tamen malis affectibus magis competit. Agit



» autem Ethicus de affectibus practice  
» & virtutis gratia: Physicus speculati-  
» ve, prout sunt qualitates.

Genus est passio vel patibilis quali-  
tas. Hæ enim due differunt tantum  
secundum magis & minus. Per appeti-  
tum non definitur; quia affectus dici-  
tur quatenus ab objecto pendet; appe-  
titus, quatenus à facultatibus.

<sup>1</sup> Subjectum remotum est anima  
<sup>2</sup> perfectum. Proximum est Cor. Nam  
1. Nimirum affectus vite vim inferunt  
2. Pulsus dat signum affectus in corde  
latentis. 3. In appetitus conatibus &  
motibus, non tantum est anima vis ap-  
petens, sed quia in consensum cor tra-  
hitur, ejus adeoq; corporis totius mu-  
tatio conjuncta est; ut ad bonum obje-  
ctum cor spiritus extrorsum fundend  
se dilatet; ad malum è contra se con-  
stringat, spiritibus intro se recipien-  
tibus.

Obje

Objectum est bonum vel ma-  
lum, & utrumq; vel verum vel ap-  
parens.

*Causa est objecti cognitio: nam  
ignoti nulla cupido.*

*Dividuntur affectus 1. Alij sunt  
objecti boni, juvantes naturam; ut  
Amor, desiderium, spes, laticia. Alij  
mali destruentes naturam; ut odium,  
ira, metus, tristitia.*

*Ad hac summa affectuum genera o-  
mnes alij affectus facile revocari pos-  
sunt; ut benivolentia, misericordia, pu-  
dor, invidia, superbia, desperatio, &c.*

*2. Alij sunt simplices, ut laticia,  
tristitia, metus &c. Alij mixti, ut ira  
ex tristitia & spe ulciscendi ubi duplex  
quasi & contrarius est cordis motus:  
Zelotypia ex amore & ira. Emixage-  
noxia ex odio & gaudio &c.*

*3. Alij sunt lenes, Græcis ἡδῆ; alij  
vehementes, Græcis μαγνῆ.*

B 3

4. Alij

4. Alij naturâ boni, ut benivolentia & misericordia. Alij naturâ mali, ut odium, invidia, superbia &c. Alij medij, ut amor, letitia, spes, ira, tristitia, metus &c.

5. Alij affectuosi seu affectionales, alij actuosi. Illos vocant inclinationes vel propensiones ad motum, ut iracundiam (ad irascendum.) Hos, ipsos motûs excitatos: ut iram.

#### CAP. V.

*De Amore & Desiderio, itemq̃  
de Amicitia.*

**A**More est affectus, quo animus bonum amatum sibi aduniri cupit, & unum quasi cum eo fieri.

Differt à pietate, quæ in bruta non cadit, estq̃ in superiores, ut Deum, parentes, patriam, &c.

A dilectione: quæ non tantum est in  
ap-

appetitu ut amor, sed in ipsa voluntate cum electione prævia.

Ab amicitia: quæ est mutuus amor officijs confirmatus.

A charitate: quæ prædicta omnia significare potest, & addere quandam amoris perfectionem.

A desiderio: quod est appetitio boni absentis; amor vero presentis.

Objectum & principalis causa Amoris est bonum cognatum & similitudinem habens cum amante.

Causa accidentales sunt. 1. Convictus & consuetudo. 2. Vestitus, cultus, apparatus &c. 3. Philtra & veneficia, quæ turpem illicitumq; amorem cient.

Vires amoris sunt potentissima, ut ei ceu victori omnia cedant. Cecus dicitur effectivè; nam pulchra in re amata nimis extollit; vitia verò vel non videt, vel extenuat.

Effecta ante acquisitionem obje-

Amici & rei amata, in infinitis sunt mutationes morum & corporis. Post: unio amanti & amati, ut affectu duo fiant unum, & unum quasi dimidium alterius.

Remedia amoris turpis moralia sunt: 1. Principijs obstare. 2. Fugere occasiones. 3. Temperanter vivere. 4. Orare & laborare, &c.

Commode hic agemus de Amicitia. Nam 1. Est amor, & quidem mutuus. 2. Philosophus eam affectibus annumerat, & in libris prioribus Ethicis pertractat, licet ad calcem eam etiam exponat. 3. Est virtutis quidam fructus principalis & effectus precipuus; ut vel hoc nomine in parte hac generali locum sortiatur. Non verò ipsa virtus est (etiamsi cognationem cum virtute habeat) Nam 1. Amicitia non est in nostra potestate vel electione. 2. Est paucis adstricta secus quàm virtus.

tus. 3. Est in bonis externis. 4. Virtutem moralem præsупponit.

Est autem ~~amicitia amor mutus & conspicuus inter bonos & virtutis amantes ex honesti cognitione confurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem perdu-  
cens.~~

Cum quâ definitione convenit illa Aristotelis: Amicitia est benevolentia in mutua affectione, minimè latens seu occulta.

Definitum ab amando, ut amor, dictum, Græcè Φιλία, quæ vox apud Aristotelem nonnunquam pro humanitate seu comitate usurpatur; apud alios non raro pro quovis amore.

Genus loco formæ positum, est Amor vel benevolentia. Maximè enim ex animo aestimatur Amicitia. Reliqua loco differentia ponuntur. 1. Est mutus; si enim esset absq; redamatione,

B 5

odi-

odium reciperet, quod absurdum. 2.  
Conspicuus 3. Inter homines vir-  
tute præditos. Est subjectum. Ef-  
ficiens enim & fundamentum Amici-  
tia virtus est, absq; qua nulla vera  
virtus. Ultima definitionis verba fi-  
nalem causam continent. Excludun-  
tur ergo ab amicitia propriè dicta, ma-  
li & improbi, bruta, res inanimata &c.  
in quas virtus non cadit.

Adjuncta Amicitia sunt Be-  
nivolentia, concordia, beneficen-  
tia.

Causæ sunt: Natura, conversatio  
convictus & consuetudo, propinquitas  
& cognatio: maximè verò similitudo  
& equalitas, ætatis, ingenij, studiorum,  
morum, virtutis &c. Circa conversa-  
tionem sciendum eam in Amicitia ma-  
ximè expeti; locorum tamen interval-  
la non simpliciter dissolvere Amiciti-  
am, sed labefactare, habitum non tolle-  
re

re sed operationem. Secundariae sunt:  
utilitas, voluptas, bonorum affluentia  
vel indigentia, societas honorum, re-  
rum aduersarum &c.

Utilitates infinite sunt in utraq;  
fortuna. Vnde Cicero: Qui amicitiam,  
de mundo tollit, Solem è mundo aufer-  
re videtur.

Oppositum generale est inimici-  
tia, In specie defectus est ἀφιλία seu  
μισοσθένεια cuius superior gradus est  
odium. Excessus ὑπερφιλία, nimius,  
caecus & perversus amor: quo refertur  
Adulatio seu amicitia fucata.

Dividitur amicitia. 1. Ratio-  
ne objecti, quod honestum, utile vel ju-  
cundum. Est enim Amicitia vel per-  
fecta quae honesta: vel imperfecta  
& per accidens (quae amatur amicus  
non sui ipsius gratiâ, sed quia nobis vel  
utilis vel jucundus) ut jucunda, quam  
maximè sectantur iuvenes voluptati-  
bus



*bus dediti; & utilis, quam senes lucro  
inbiantes: ad quam etiam hospitalens  
Amicitiam referunt.*

*Perfecta autem rara admodum  
est, ut vix pauca paria Amicorum rep-  
perias in sacris & prophanis: estque  
tantum inter paucos admodum ut  
duos vel paullo plures, testante 1. Ex-  
perientiâ. 2. Raritate bonorum homi-  
num. 3. Negotiorum singulis incum-  
bentium diversitate. Et quid faceres  
hoc amico lugente, illo gaudente?*

*II. Ratione subjecti, vel est æqua-  
litas, inter homines ejusdem digni-  
tatis, ut fratres, sodales &c. vel inæ-  
qualitatis seu disquiparantie, ut lo-  
quuntur, ut inter Patrem & Filium,  
maritum & uxorem, magistratum &  
subditum &c. In hoc inæquali amici-  
tia genere est equalitas secundum pro-  
portionem Geometricam. Quo verò  
major servatur in amicitia equalitas  
Aritb.*

Arithmetica, eò illa firmior. De hac  
proportione infra in Cap. de justitia.

III. Ratione formæ seu communio-  
nis, est publica vel privata. Publica  
seu politica reperitur in varijs rerum-  
pub. formis, in Basilia, Aristocratia,  
Democratia. Privata vel est et æque,  
inter alienos temporis successu coale-  
scens ob similitudinem morum, etatis,  
studiorum &c. Vel Quæritur, quæ I. pa-  
terit inter parentes & liberos. Est  
verò parentum in liberos amor inten-  
sior, quàm horum in illos. I. Quia pa-  
rentes diutiùs amarunt liberos. 2. Ma-  
gis parentibus constat de liberis, quàm  
his de illis. 3. Quia benefactoris amor  
major est in beneficiariù, quàm hujus  
in illum, cum beneficiarius totus quasi  
sit benefactoris: quivis autem suum  
quod est, amat impensius. II. quæritur,  
per conjugium contracta, vel prima-  
ria, ut inter maritum & uxorem, vel  
se-

*secundaria, inter affines. 3. Αδελφική  
fratrum & sororum. 4. Συγγενική in-  
ter sanguine junctos, cognatos, patru-  
les, consobrinos &c.*

*CAP. VI.*

*De odio & ira, spe & metu, lati-  
tia & tristitia.*

**O**dium est affectus amovendi  
objectum. Opponitur amori, ex  
cujus explicatione idcirco intelligitur.  
*Differt ab invidia. 1. Quia hæc solius  
hominis est, odium etiam brutorum.  
2. Hæc est ex alterius rebus secundis  
invidenti non nocentibus: illud ex eo  
quod nocuum.*

*Causæ odij sunt. 1. Natura proprie-  
tas non facile explicabilis, ut inter lu-  
pū & ovem. 2. Ab amore sui. 3. A re me-  
rito averfanda. 4. Ex animi offensione.*

*Remedia sunt; qualia contra iram.*

*Huc referantur contemptus, inimici-  
tia, &c.*

*Con-*

Contemptus est affectus ex ni-  
miã ~~Philantia~~ ortus, quo quis alium,  
se putat obiectiorem.

Remedia. 1. Respicienda propria vi-  
tia. 2. Scriptura passim contemptum pro-  
hibet.

Ira est affectus mistus ex fan-  
gvinis & spiritus circa cor accen-  
sione, quo ulcisci & punire li-  
bet eum, qui injuriã læsisse vide-  
tur.

Quatenus est affectus, materia est  
mansuetudinis; ut habitus ex multis  
actionibus; est habitus vitiosus vel ira-  
cundia.

Dicitur affectus mistus; Nam  
duplex adest cordis motus, ut obiectum  
duplex: videlicet malum presens mo-  
uens tristitiam, & obiectum desidera-  
bile movens cupiditatem ulciscendi &  
puniendi.

Ira species sunt. 1. Levis animi

COR-

concitatio & furor brevis. 2. Furor major ex natura perversitate. 3. Furor maximus vel acerbitas ( ut in Nerone, Ajace, &c. ) ex qua sæpè morbi graves.

Remedia. 1. Vindictam in aliud tempus differre. 2. Rebus leviculis non offendi. 3. Deo vindictam relinquere. 4. Cogitare nos ipsos sæpè labi & errare.

Spes est affectus simplex, quod dum animus bonum futurum appetit, cor se dilatat, & ad illud recipiendum se quasi præparat.

Dicitur bonum futurum; ( Nam gaudium est præsentis boni ) quod sit possibile, nec non arduum; nam leviculum facile habendum, non speramus.

Metus seu timor est affectus simplex mali futuri ( hoc objectum. )

Causæ sunt: Dei ira, eorum offensiones quæ ledere possunt, morbi, pestis, Amissio libertatis, religionis, conjugis,  
opum

opum &c. Fulmina, terra motus, prodigia &c.

Effecta. 1. In animo perturbatio cogitationum. 2. In corpore pallor, horror, angustia, pilorum rigor.

Remedia. 1. Æstimare pericula secundum circumstantias. 2. Præmeditari pericula, ut minùs noceant. 3. Exempla aliorum similia perpendere. 4. Sperare meliora &c.

Timori opponuntur: Securitas, fiducia, & audacia. Securitas, cum non perpendunt mali magnitudinem. Fiducia est animi confirmatio in periculis. Audacia, cum temerè ruunt objecta pellenda, vel consequenda &c. Ideoq; rarò cum successu.

Lætitia est affectus, quo ob bonum præsens vel præteritum (objectum est) cor dilatatur & spiritus diffundit. Ideò ex moderata læticia corpus moderatè calefit & hu-  
me-

meclatur, viresq; omnes fiunt vegetio-  
res, ex immoderatâ sæpè mors subita.

Estq; vel honesta, vel turpis & illicita  
(pro ratione objecti) remedia exi-  
gens instar amoris.

Tristitia est affectus, quo ob  
malum præsens vel præteritum  
cor coarctatur.

Species ejus sunt: Misericor-  
dia, quæ est de malo alieno. Invidia,  
de bono alieno. Angustia vel anxie-  
tas; cum spes non est refugij. Accedia,  
quasi vocem amputans præ nimia tri-  
stitia.

Effecta sunt nocumenta animi &  
corporis.

Remedia 1. Cogitare de conditione  
humana adversitatibus exposita. 2. Id-  
eoq; contemnere. 3. Alijs delectari & a-  
vocari. 4. Amicos habere compatibles.

## CAP. VII.

De definitione virtutis, itimq; justi-  
ciae universalis. Ha.

**H**Actenus de tribus causis virtutis prioribus. Sequitur forma & definitio virtutis moralis evisceranda.

Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, quoad nos definita, ratione viri prudentis.

Definitum Ciceroni à viro dicitur. Genus est habitus. Est enim virtus suâ formali & intrinsecâ ratione habitus bonus & electivus vel in electione consistens, ut distingvatur ab intellectualibus virtutibus, ab habitibus corporis, ab actionibus naturalibus, coactis, fortuitis, temerarijs. Ubi autem electio, ibi libertas & consultatio: quae in voluntate sedem habent. Voluntas ergò virtutis est subjectum vel materia in qua.

Mediocritas formam virtutis potissimum constituit. Virtus enim in medio consistit inter excessum & defectum



Etum ceu vitia, v. g. fortitudo inter  
audaciam & timiditatem; liberalitas  
inter profusionem & avaritiam.

Mediocrisatem consequendi tria  
» præcepta dat Aristoteles. 1. Caven-  
» dum & magis recedendum ab eo ex-  
» tremo quod medio magis adversatur,  
» & declinandum ad id quod medio est  
» propinquius. 2. A vitijs ad quæ natu-  
» râ sumus proniores magis abstinendû,  
» & in contraria nitendum. 3. In omni  
» actione cavenda est voluptas, rationi  
» scilicet inimica.

Dicitur præterea in definitione,  
quo ad nos sicut vir prudens eum  
definit. Observandum enim in vir-  
tute medium persone, rationis vel Geo-  
metricum accommodatum cuiusq; per-  
sone pro ratione circumstantiarum, lo-  
ci, temporis &c. que cum variant in  
actionibus, non nisi vir prudens depre-  
hendet medium longo usu doctus quid  
sin-

singulis personis & circumstantijs con-  
veniat.

Iustitia universalis tantum dif-  
fert à virtute morali, quod hæc refe-  
ratur magis ad habentem, & dicatur  
ut est merus habitus voluntatem vel  
appetitum in habente perficiens, illa  
magis ad alios se extendat, & ad bo-  
num publicum conferat, & non tantum  
privatum sit habentis bonum.

Est autem iustitia universalis  
quâ quis justè se habet circa bo-  
num commune & publicum, &  
omnibus legibus obedientiam  
præstat, ut ex earum præscripto  
omnes alias virtutes colat.

Aristoteli etiam legalis dicitur (quia  
leges eam præcipuè intendunt) perfe-  
cta, optima, pulcherrima, latè paten-  
tissima (quia reliquas virtutes sub se  
complectitur) virum optimum effi-  
ciens &c.

Obje-

Objectum est jus vel justum, vel omnes virtutum actiones, quae quatenus legibus mandantur, dicuntur potius justae, quam fortes, liberales &c.

Oppositum est injustitia universalis, cum non praestatur legibus obedientia, unde turbatur humana societas: & adversantur justitiae universali omnium virtutum moralium extrema, quatenus faciunt ad bonum publicum aliquo modo minuendum. Unde justitia universalis potest esse in uno aliquo subjecto, cum bonum bono non contrarietur. At injustitia universalis non potest simul & semel uni subjecto inesse, cum multiplex sit morale vitium, & unum alteri contrarium, ut Audacia & timiditas.

### CAP. VIII.

De Divisione virtutis moralis.

**N**on esse unicam tantum virtutem (unitate specificâ) sed plures, patet

con-

contra Stoicos, 1. Quia quidam magis ad unam quàm aliam virtutem inclinant. 2. Aliæ ad aliam animi facultatem referuntur. 3. Distinctos affectus moderantur vel ad mediocritatem reducunt, 4. Differunt externis objectis, terrificis, voluptatibus, honoribus &c.

Cicero in officijs quatuor cardinales & primarias virtutes recenser: Prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Sed miscet virtutem intellectualem cum moralibus.

~~Moralis autem virtus commodè dividi potest secundum facultates irascibilem & concupiscibilem. In concupiscibili versatur virtus vel circa voluptates corporis, quas moderatur temperantia, vel voluptatum instrumenta. Instrumenta illa sunt divitiæ & honores. Circa divitiâs æquandas versatur justitia suum cuiq; tribuens; circa erogandas mediocres~~

Libe-

Liberalitas, ~~magnas~~ Magnificen-  
tia. ~~Circa honores mediocres versatur~~  
Modestia, ~~circa magnos~~ Magnani-  
mitas. ~~In irascibili qua continentur~~  
~~virtutes, versantur circa jocosa vel se-~~  
~~ria. In serijs molestis timorem cohibet~~  
fortitudo, ~~iram~~ Mansuetudo. ~~In~~  
~~serijs jucundis peragendis praest~~ hu-  
manitas ~~seu comitas, referendis veri-~~  
~~tas praest~~. ~~In jocosis mediocritatem~~  
~~servare jubet~~ Urbanitas.

In his justitia est utilisissima & praes-  
tantissima; quippe absq; qua nulla do-  
mus, civitas aut gens conservari po-  
test, & ad qua aliae virtutes videntur  
quodammodo posse referri. Postrema  
vero & dicuntur Homiliticae, quia plu-  
rimum conferunt ad civilem conver-  
sationem, quae consistit in dictis & fa-  
ctis, & animos hominum conjungunt.  
Et licet reliqua virtutes interna ma-  
gis respiciant, & actiones graviores

ma-

magisq; reales, adeoq; sint eminentio-  
res; tamen non ideo negandum has po-  
stremas esse virtutes. Cū 1. Participent  
de definitione virtutis. 2. Versentur  
inter duo extrema. 3. Profluant ex vo-  
luntate, consultatione, praelectione &c.

CAP. IX.

De gradibus virtutum moralium, vel  
de perfectione & imperfectione  
earundem.

**I**N uno subjecto tres sunt virtutū mo-  
ralium gradus & respectus. 1. Est in-  
ipientium vel in gradu continentia,  
quando affectus pravi & cupiditates  
inordinate, recte rationis imperio sub-  
ijciuntur invitè. 2. Proficientium vel  
in gradu temperantiae, quando magis  
repressa sunt & pacata passiones, nec  
ita vehementes. 3. Perfectorum & he-  
roum, cum ita cohibentur affectus, ut  
vix aut rarissimè se rationi opponant.  
Et haec sunt tria illa que in moribus ex

C

peten-

petenda docet Aristoteles. Scilicet: virtus imperfecta seu incipiens, virtus moralis, & virtus heroica, qua virtutum est perfectio.

Tria verò econtra fugienda monet idem: Incontinentiam, vitium morale, & feritatem seu immanitatem.

Virtutem prout medio se habet modo, hucusq; in genere consideravimus; superest ut pariter in genere eam consideremus secundum imperfectionem & perfectionem. Primò ergo accedamus semivirtutes dictas, seu virtutes imperfectas.

Virtus moralis imperfecta est via vel dispositio ad ipsam virtutem perfectam. Vel: Est habitus electivus imperfectus, appetitum reluctan-tem & indomitam rationi subijciens. Differt ergo à perfectâ virtute nō specie, sed gradu, ut dispositio ab habitu.

Hujus duæ species Philosopho:  
Con-

Continentia & Tolerantia. Illa  
circa voluptatem, hæc circa dolorem  
versatur, sed omnis generis sensuum,  
non tantum circa gustus & tactus, ut  
temperantia.

Deinde illa concupiscibilem appeti-  
tum dirigit, hæc irascibilem; ut ideo ad  
hæc duo quasi summa capita, reliquæ  
imperfectæ virtutis species (quæ tot sunt  
quot perfectæ) nominibus proprijs &  
convenientibus carètes, referri queant.

Virtus heroica est eminentia,  
& splendor virtutum moralium,  
(præcipuè; & in his fortitudinis & ma-  
gnanimitatis, quarum splendor vulgi  
oculos magis percellit; interim & in in-  
tellectualibus virtutibus excellentes,  
heroës sunt; & in reliquis moralibus)  
earum præcipuè qua majori cum diffi-  
cultate conjunctæ sunt, quæq; divinum  
aliquem afflatum exposcere viden-  
tur, præter reliquas efficientes vir-  
tutum



tutum moralium, in quibus convenit  
heroica cum moralibus, uti & genere,  
subjecto, objecto &c.

Differt n. à moralibus tantum secun-  
dum magis & minus, vel perfectionem  
& imperfectionē, id est diversos gradus.

Hinc tot sunt species heroicae, quot  
sunt moralium virtutum; cum in qua-  
libet virtute reperiatur splendor & e-  
minentia. Datur enim fortitudo heroi-  
ca, temperantia heroica &c.

Et cum nulli sit praclusa virtus, in  
fœminis utiq; etiam esse potest virtus  
heroica, qua apparuit in Rachab, De-  
bora, Joel, & Judith, atq; inter propheta-  
nas in Semiramide & Margareta Da-  
norum olim regina, qua regem Suecia  
in bello captivum duxit.

Heroës ergo sunt viri illustres  
per excellentem virtutem supra  
humanam conditionē collocatam, per  
quam olim cœpit nobilitas. No-  
bili-

bilitas enim cum virtute heroica co-  
cidit. Et hac est propria & Philosophi-  
ca nobilitatis acceptio, cum impetratur  
artis vel Martis beneficio. Alioquin  
improprie, abusive & populariter su-  
mitur. 1. Pro ea qua in divitijs & bo-  
nis fortuna reponitur: quæ tamen nobi-  
litatem illustrare & ornare, non verò  
dare possunt, cum sint bona mobilia,  
mutabilia & inconstantia. 2. Pro ea qua  
in generis & prosapie splendore collo-  
catur, estq; naturalis & congenita. At  
hoc bonum est non proprium sed alie-  
num: nec rarò ex illustri stirpe progna-  
ti degenerant: Vnde illud: Heroum fi-  
lij noxa. Et vice versâ ex vilissima &  
obscurissima familia multi præclari ac  
nobiles orti.

### CAP. X.

De oppositis virtutis moralis  
& Heroicæ.

Contrariorum eadem est scientia,  
C 3 teste

teste Aristotele. Quare in Ethicis non tantum de virtutibus agendum, sed etiam de vitijs & extremis. Et nunc de his in genere agemus, ut haecenus de ijs genericè diximus. Nec non de heroica virtutis oppositis. Semivirtutum opposita cum specialia sint; juxta species Semivirtutum, de ijs in parte propria tractandum.

Vitium est excessus vel defectus virtutis in medio consistentis inter hæc duo. Ut liberalitas medium est vel virtus, avaritia defectus, profusio excessus.

Vitij vel mali moralis causæ, Theologicè respondendo, sunt Diabolus & perversa hominis voluntas. Philosophicè; defectus rationis & nimius amor sensuum, eorumq; quæ sensibus sunt grata, qui rationem obfuscat & appetitui subjicit. Nam si appetitum respiciamus, homo magis pronus est ad vitia quippe  
sen-

sensibus gratiora. Si rationem, magis  
ad virtutes (~~non spirituales, sed mora-~~  
les) ut enim se habet intellectus ad sci-  
entiam: sic voluntas ad virtutem. At  
omnes naturâ desideramus scire.

Malum ergo morale cum virtuti  
bellum indixerit, nequaquam est fa-  
ciendum, ut eveniat bonum, (bo-  
num enim ex malo precedente ortum,  
bonum esse desinit.) At malum aliquod  
Physicum & leve (ut corporis morbum  
vel fœditatem) facere licet ut eveniat  
præstantius bonum. Ut si quis cum Zo-  
pyro faciem vulneret, & ad hostes fu-  
giens quasi à suis lesus, eorum consilia  
in patriæ gratiam exploret.

Heroicæ virtuti opponitur in-  
defectu ignavia & ineptitudo ad  
omnem virtutis impetum. In excessu  
feritas seu bestialitas, quæ ex magni-  
tudine vitij vel eminentia, vitiosi ha-  
bitus oritur. Est enim vitium sum-

num omnem rationis usum excludens, hominemq; infra humanam conditionem deprimens, & quasi in ferinam transferens.

*Differt à vitio tantum secundum magis & minus, & tot species habet, quot sunt vitia moralibus virtutibus opposita. Ut alia sit feritas opposita fortitudini, qualis in Nerone, alia liberalitati, temperantia &c. Omnes tamen ad tres principales formas referuntur: Prophanitatem, immanitatem, & tyrannicam impietatem. ~~Hæc pietatem erga patriam pervertit: Illa charitate erga proximū hominem exuit: ista à Deo & divinis avocatur.~~*

---

PARTIS SPECIALIS  
CAP. I.

*De justitia in genere, & de distributiva in specie.*

**P***Remittitur hæc tanquā moralium*  
vir-

virtutū Regina, cū aliās ordo sit arbitrius, nec referat, quo queq; loco tradatur; cum omnes sint virtutis species.

Est autem iustitia virtus moralis, quā homines apti sunt ad agendum ea quæ iusta sunt, eademq; etiam agunt & volunt. Vel: est virtus unicuique suum tribuens, alienum non vendicans, utilitatem propriam negligens, ut communem aequitatem custodiat.

Definitum dicitur à jure objecto suo, quod sit juris status, vel quod in ea jus sistatur. Jus verò à jubendo dicitur, quasi iussum. Differentia primæ definitionis insinuat. 1. Facultatem iustæ agendi 2. Actionem. Nam virtutis laus omnis in actione consistit, ut ait Cic. 3. Voluntatē, ex qua proficiscatur, non ex affectu aut perturbatione. Vnde Ictis definitur iustitia constans & perpetua voluntas suum cuiq; jus tribuendi.

C 5

Ob-

Objectum est jus vel justum & rectum. Oppositum est injustitia, quo nomine continentur duo vitia: nimium vel parū tribuere sibi aut alteri.

Dividitur justitia in universalem & particularem.

De universali dictum parte communi Cap. 7.

Particularis, qua & meralis dicitur, est virtus in rerum externarum distributione & commutatione sita.

Objectum sunt bona externa & fortuna, ut opes & honores. Circa hos præcipuè versatur distributiva: magis circa eas commutativa.

Dividitur enim particularis in distributivam & commutativam.

Distributiva est justitia particularis præmia & pœnas justo modo distribuens. Vel: est qua in distributione bonorum & malorum

lorum

lorum externorum proportionē servat  
Geometricā, id est rationē habet digni-  
tatis personarum & equalitatis rerum,  
ut unicuiq; pro merito suum tribuatur.  
Quòd stabile est fundamen Reipub.

Oppositum est injustitia illa, quā,  
præmia & pœna non justo distribuun-  
tur modo. Excessus dici potest tyran-  
nis pœnas nimis exasperans. Defectus  
Socordia, neq; dignis præmia distribu-  
ens, neq; delinquentibus pœnam.

Objectum sunt 1. Personæ v. g. pu-  
blicas plus tribuendum. 2. Bona & ma-  
la externa, id est præmia & pœna, ut  
honores, dignitates, officia, pecunia; la-  
bores, castigationes, supplicia &c.

Hac distributiva aliā est remunc-  
rativa, quæ præmia; alia punitiva,  
quæ pœnas justè distribuit.

In hac justitiæ specie servatur pro-  
portio Geometrica. Hac sicut in Mathe-  
maticis neglecta equalitate differen-  
tia-



tiarum servat equalitatem proportio-  
nis: ita in Ethicis non spectat nudè &  
absolutè rerum equalitatem, sed cum  
discrimine circumstantiarum atq; per-  
sonarum quibus aliquid tribuendum,  
& rerum tribuendarum respectu: Ser-  
vat enim equalitatem non rei ad rem  
(ut commutativa quæ servat Arith-  
meticam proportionem secundū equa-  
lem quantitatis excessum, ut tantum  
quis reponat, quantum accepit, absq;  
discrimine status & dignitatis in per-  
sonis) sed rei ad personam. v. g. in bello  
duci plus dandum quam militi &c.

Ad pœnam refertur à nonnullis jus  
talionis, quod est simplex vel pro-  
portionale. Illud Pythagoricum  
est, quando simpliciter tale vel idem  
redditur, quale acceptum: quod in nul-  
la specie particularis justitiæ locum ha-  
bet. Proportionale vel analogicum est  
compensatio bonorum & malorum fa-  
cta

*Et proportionaliter. Bonorum dicitur  
gratitudo; malorum vindicta. Et  
hac lex talionis in Repub. est necessaria.*

CAP. II.

*De iustitia commutativa, ubi simul  
de furto & usura.*

**C**OMMUTATIVA est iustitia parti-  
cularis, quæ in contractibus  
& rerum permutatione propor-  
tionem servat Arithmeticam, id  
est, posthabito personarum respectu, rei  
servat equalitatem, ut suum unicuique  
tribuatur, & neutra pars defraudetur.  
Vnde Correctiva etiam Aristoteli di-  
citur, quia omnem inequalitatem cor-  
rigit, repositâ personarum dignitate,  
v. g. nobili, consuli, & rustico licet in-  
equalis honor tribuatur ratione iustitie  
distributive, non tamen in emendo vel  
vendendo, aliquid minori pretio datur  
huic magis quam illi.

*Differt ergo à distributiva. 1. Pro-*  
por-

portione, uti dictum. 2. Subjecto vel personis quæ in distributiva sunt publicæ, hic privata.

Oppositum est injustitia, quâ vel justo minus pro rebus solvitur, vel iniquum pretium rebus imponitur. Itim si merces sint corrupta, iniqua mensura, pondera.

Medium & mensura, per quam exercetur justitia commutativa est 1. Ex natura, ut est annona publica & non corrupta. Hinc occasio exercenda mercatura, cû non omnis ferat omnia tellus, adeo ut mercatura sit ex jure natura orta, & jure omnium gentium confirmata. 2. Ex instituto hominum, & est nummus, quo medium generalius & commodius nullum, cum non quisvis quavis annona indigeat.

Objectum sunt contractus, ut 1. Emtio & venditio, ubi notandum teneri venditores vitia occulta rei venden-

denda significare, ne defraudetur pro-  
ximus, & ut merx pretio aequetur, quod  
requirit justitia commutativa. 2. Nu-  
dus usus. 3. Usus fructus, ubi plus est  
commodi. 4. Commodatum, ubi restitui-  
tur commodatū in specie, vel, idem nu-  
mero & qualitate. 5. Mutuūm: ubi re-  
stituitur non idem numero, sed simile  
speciei & valore. 6. Locatio & condu-  
ctio. 7. Depositum vel actio deponendi,  
ubi rem ad custodiendum traditam re-  
petit deponens quando vult. 8. Pignus  
vel pignoris acceptio. 9. Sponsio seu fide-  
jussio. 10. Promissio simplex absq̄ ante-  
cedente petitione promissionis. 11. Sti-  
pulatio, quæ fit præcedente petitione.  
12. Transactio, vel concordia circa rem  
litigiosam. De quibus ubiq̄ J. Cti.

Contractus a. & mercatura Christi-  
anis licite sunt & necessaria ad politica  
societatis conservationem. Licite: quia  
cōmendantur in scriptura pondus inte-  
grum,

grum, mercatura &c. & illos probant  
exempla sanctorum in utroque testa-  
mento: Imo in Mose certa præcepta con-  
tractuum politicorum sunt præscripta.

Excessus est nimium lucrum:  
justum enim concessum est.

Defectus est damnū. Sub damno  
& lucro continentur furtum & usura.

Furtum est contractatio & ab-  
latio fraudulenta rei alienæ invi-  
to domino, lucri gratia.

Definitū à furvo seu atro dictū; eò  
quod nocte atrā potissimū cōmittatur.

Genus actionem externam requirit.

» Theologicè a. furtum etiam est quod in  
» animo concipitur. Per rem alienam  
» intellige rei. 1. Substantiam. 2. Qualita-  
» tem, ut si detur vetus pro novo, dimi-  
» dium pro integro. 3. Quantitatem, ut  
» si est falsitas in numero, pondere, men-  
» sura &c. 4 Commoditatem; si res non  
» datur suo tempore & loco.

Finis

Finis est turpe & injustum lucrum, cujus causâ, qui assentiuntur, operam & consilium &c. dant furibus, his annumerantur.

Dividitur 1. In manifestum & occultum. 2. In diurnum & nocturnum. Et hoc deterius. 3. Aliud est rei animatæ, aliud inanimatæ. Illud vel est plagium, & est hominum; vel abigeatus & est armentorum abductio. Hoc vel est sacrilegium spectantium ad cultum divinum; vel furtum simplex, rerum simplicium & inanimatarum.

Pœna furti ratione delicti variant. In varijs nationibus est suspensio, ex jure ubiq; recepto. Lex enim Mosaica licet eam pœnam non decernat, crescentibus tamen delictis creverunt pœna. Unde & Salomonis tempore asseviore pœna erat furti, quam secundum legem Mosaicam.

Et

Et licet per benignam juris interpretationem & misericordiam à pœna aliquando ordinaria liberentur, qui urgente summa fame & necessitatis tempore furati sunt; tamen hoc furtum nequaquam licitum est; fame enim potius moriendum pauperi quàm furandum. Interim panem ei denegans homicida est. Juxta illud: si non pavisti, occidisti.

Usura est id quod alteri solvitur propter pecuniæ debitæ vel rei concessæ usum. Estq; triplex: Lucratoria, punitoria, compensatoria.

Lucratoria illicita est & furto deterior, cum ob mutationis officium pretium illegitimum exigitur. Dicitur fœnus quasi funus, vel vivi hominis sepultura & cruciatus.

Punitoria est que tamquam multa debitori irrogatur ab moram solvendi.

Compensatoria, est cum pro pecunia usu

usu justum pretium gratitudinis loco  
retribuitur, habitâ ratione equitatis  
& conscientiæ. Hæc in quibusdam casi-  
bus est licita. Ut 1. cum diviti mutuo  
dederis ad exercendas negotiationes,  
agros, ædes &c. comparandas; ne ipsi sit  
commodum, tibi damnum. 2. Cum pau-  
per pauperi dat mutuo, non ex abun-  
danti: ut dans merito ab accipiente in-  
demnis præstetur. Nam ita quis alteri  
proderit; nè sibi ipsi obsit. Charitas enim  
incipit à seipsa. Licitam verò aliquam  
esse usuram probatur & ex sacris Matt.  
25. & jure civili quod eam decernit. Il-  
licita autem est compensatoria, si di-  
ves mutuo dederit pauperi egenti &  
non inde lucranti. Ab hac passim scri-  
ptura abhorret & Christiana charitas.

### CAP. III.

De jure & injuria.

**I**us est, quod recta ratio in usu  
mutuæ societatis præscribit.

Di-



*Dividitur Aristoteli in civile seu simpliciter dictum, & domesticum seu secundum similitudinem dictum.*

*Jurisconsulti dividunt in naturale, quod natura docuit omnia animalia, ut seipsum defendere, liberos amare &c. Gentium, quod ratio omnes gentes docuit (& hoc idem est cum jure naturali Aristotelico) ut Deum esse colendum, patriam defendendam &c. Et civile quod quisq; populus sibi constituit scriptum vel non scriptum, publicum vel privatum.*

*Civile (quod Aristoteli etiam sub se continet naturale) vel est naturale vel legitimum seu legale, quod jurisconsultis tantum civile.*

*Naturale est quod apud omnes homines rectæ rationis beneficio utentes eandem vim habet, non ex hominum opinione, aut instituto. Dicitur recte ratio-*

*tio-*

tionis. Nam hac neglectâ non defue-  
runt scelerati populi, bestiales & quasi  
furiosi qui à jure recesserunt naturali:  
ut apud indos filij parentes senio conse-  
ctos fustibus interficiebant.

Efficiens legis natura sunt notitie  
principiorum practitorum & inde ex-  
structarum conclusionum, quas Deus  
animis hominum ab initio impressit.  
Vnde hoc jus in scriptura dicitur jus  
Dei, veritas & patefactio Dei, opus le-  
gis inscriptum in cordib. in ipsa creatione.

Principia sunt axiomata per se no-  
ta & indemonstrabilia, natura nobis  
instita, & legum specialiorum semina:  
ut turpe est fugiendum, parentes ho-  
norandi, pactum servandum, quod tibi  
non vis fieri alteri nefeceris, suum cuiq;  
tribuendum, veritas colenda &c.

Conclusiones ex his ratione re-  
ctâ colligendæ sunt variæ, ut ex prin-  
cipio: justitia est colenda, concluditur;

Er-

*Ergo non furandum, non occidendum  
Et c. Ex principio: equalitas est ser-  
vanda, concludis: Ergo pœna delicto  
debet respondere.*

*Juris naturalis species Ciceroni  
sunt 1. Religio, qua Deo debetur. 2. Pie-  
tas, qua patriæ, parentibus, cognatis Et c.  
3. Gratia, benemeritis. 4. Vindicatio  
injurijs. 5. Observantia, superiori-  
bus autoritate Et c. 6. Veritas omnibus.*

*Jus legale vel civile specialiter Et  
Et c. dictum, est quod ex hominum  
instituto autoritatem habet,  
omnes quibus fertur obligans.  
Hoc apud omnes non est idem, sed mu-  
tari potest, immò abrogari. Sanitum  
vel ex jure nature, vel ratione aliqua  
pròbabili, vel aliqua circumstantia ad  
salutem civium Et c.*

*Finis est non tantum honestas, ut in  
lege nature; sed etiam utilitas.*

*Adjunctam est æquitas vel cor-  
rectio*

rectio, quando jus ipsum ob generalitatem videtur deficere vel benigna juris interpretatio à iudice prudenti. *Æquitatis extrema sunt.* 4

1. Malitiosa juris interpretatio, *ICTIS*, calumnia, cum legis verba in sensum, detorquentur alienum à mente legislatoris. 2. *Strictum & summum jus*, cum leges severe sine mitigatione (licet hanc circumstantia aliqua postulet) retinentur absq; prudentia, id est, absq; examine circumstantiarum, loci, temporis, personarum, mentis legislatoris &c. Et in hac significatione summi juris (non de statu juris perfecto & excellentissimo) verum est illud: summum jus, summa injuria.

*Jus legale vel est non scriptum, approbatum longo consensu utentium, & ita imitatur legem; vel scriptum: ut lex, plebiscitum, senatus consultum, principum placitū seu constitutio, prætorum*

*torum*

torum edictum, responsum prudentum,  
recessus &c. de quibus *Jctus*. Utrumq;  
vel est publicum pro pluribus; vel pri-  
vatum pro qualibet civitate vel uni-  
versitate &c. Et dicitur jus municipa-  
le, statutum &c.

Jus domesticum est quod colitur inter unius domus membra; ut matrimoniale seu uxorium, inter maritum & uxorem: Herile seu dominativum, inter Dominum & servum. Paternum inter parentes & liberos &c.

Injuria opponitur juri, cujus est violatio. Estq; vel voluntaria vel invita. Illa propriè est injuria, cum invito prater meritum infertur damnum à sciente & volente. Dicitur invito, nam volenti non fit injuria, vel volens non patitur injustum, modo habeat voluntatem integram, absolutam, liberam & expressam.

At

At patitur nolens injustè, qui habet voluntatem 1. tacitam, non expressam, v. g. qui volens patitur damnum leve ab inimico, ut magis ei noceat. 2. Non integram, ut in martyribus. 3. Conditionalem, ut pauper egens dat diviti injustam usuram. 4. Ligatā, ut infirmus noxia petens si à quodam facile concessa habeat. Hæc vel est venialis quam homo committit per ignorantiam, vel non venialis, quam committit ignoranter. Confer cap. 3. Ethic. General. Voluntaria est 1. Ex malitia & certo animi proposito. 2. Ex animi affectu & perturbatione: & hæc levior est.

#### CAP. IV.

##### De Temperantia.

**T**emperantiæ vox hic non generaliter capitur pro quavis virtute, sed moraliservante in gula & venere mediocritatem.

Est enim temperantia virtus

D

mora-

moralis in appetendis vel fugien-  
dis corporis voluptatibus quæ  
gustu & tactu percipiuntur, & ar-  
cendis doloribus, qui ex rei ju-  
cundæ privatione animo concipi  
possunt.

*Habit itaq; vir temperans in ex-  
petendis & perfruendis voluptatibus  
rationem honestatis, quantitatis, vale-  
tudinis, existimationis, loci temporis,  
sumtuum &c. Et cum temperantia sit  
virtus, non erit temperans, qui à rebus  
nonnullis abstinet vel naturâ, vel mor-  
bo, vel voto. Coactio enim in virtutibus  
non habet locum.*

*Effecta temperantiæ, in corpore  
sunt sanitas & pulcritudo; contra, in-  
temperantia variarum agritudinum  
causa est, & mediocrum nutritrix. In ani-  
mo, conservatio ingenij, judicij, memo-  
ria, alacritas ad exercendas virtutes.*

*Excessus est intemperantia vitium  
frequentissimum.* De-

Defectus, (qui rarissimus) est stupida omnes spernens etiam necessarias & honestas voluptates: ut in Origene, qui ad vitandam venerem seipsum castravit; & in Diogene, qui omnes mulieres de arboribus suspensas optavit.

Objectum externum Philosopho sunt voluptates (corporis, non omnes, sed tantum gustus & tactus; & huius praesertim) & dolores (ex accidenti, nam fortitudo per se circa dolores versatur) quatenus ex voluptatum nimio desiderio vel privatione oriuntur.

Species duae sunt: Frugalitas & castitas.

Frugalitas est temperantia in gula moderanda, qua cibi & potus tantam portionem utimur, quantum natura ad sui conservationem postulat.

Ratione duplicis huius objecti, cibi & potus, duplex est frugalitas: abstinencia, qua in cibo, & sobrietas

D 2

qua



que in potu. Habeatur autem ratio cu-  
jusq; natura. Non enim omnibus aequè  
calor fortis est; nec aequaliter omnes la-  
borant: quare unus altero capiosiori  
victu uti potest, illaesa frugalitate.

Excessus, est Luxuria in cibo &  
potu, corpus ejusq; vires prosternens,  
uti & animi: qualis cana Antonij &  
Cleopatra.

Defectus sunt sordes tales, cū quis  
corpori necessariū alimentū denegat.

Abstinentia est frugalitas in ci-  
bo capiendo modum servans natura  
& rectae rationi congruum.

Defectus est nimia corporis ma-  
ceratio, vitium rarum.

Excessus frequens est voracitas  
& edacitas, consistens 1. In nimia quan-  
titate. 2. Festinatione, instar canū. 3. In-  
tempestiva comestione non urgente fa-  
me. 4. In electione suaviorum præ salu-  
bribus. 5. Cū quis delicatiora in patina  
meditatur & evoluit. Re-

*Remedia contra voracitatem sunt*

*1. Cogitare nutriendam etiam esse animam. 2. Voracitatē esse bestiarū. 3. Non abutendum divinā liberalitate. 4. Gustus delectationes esse breves. 5. Prius resistendum hostibus qui in nobis sunt, quam externis. 6. Voracitatem esse matrem morborum & mortis prematura.*

*Sobrietas est frugalitas in moderato potus usu. Vult hac virtus*  
*1. Ne nimium bibamus. 2. Ne nimium sectemur suavitatem potus etiam in modico potu.*

*Extremum in defectu nomine caret: dicitamen potest nimia averfatio potus requisiti: quod vitium admodū rarum. Non n. pro vitio reputandum quod aliqui nihil planè biberint, vel ex peculiari natura, vel morbo, vel coactione, vel consuetudine longa. &c.*

*Extremum vitium in excessu est Ebrietas vel intemperantia in potu,*

virtus hodie, proh dolor, potius quam  
vitium bellionibus.

Causæ sunt prava voluntas, con-  
suetudo perversa &c.

Effecta sunt nocumenta varia cor-  
poris & anima: morbi infiniti, & mors  
sæpè repentina.

Remedia Ethica præter ea quæ vo-  
catur, sunt 1. Considerentur incom-  
moda & effecta ebrietatis. 2. Cogitan-  
dum vinum ad ebrietatem sumtum ho-  
minis esse venenum. 3. Contemplantur  
ebrii in speculo faciem furibundam. 4.  
Perpendendū Ethnicos etiam potuisse  
hoc vitiū detestari & bestijs adscribere.

Castitas est Temperantia in  
moderanda venere licita, & fu-  
gienda illicita.

Objectum est Venus, quo nomine  
intellige non tantum actum venereum,  
sed etiam voluptatē in amplexu, oscu-  
lis, colloquijs, gestu corporis, vultus,

0611-

oculorum, manuum, pedum &c. Et tum  
hec virtus in specie dicitur Pudicitia.  
In ~~venere licita~~ vult castitas ut fiat il-  
lesa valetudine, in loco, tempore &c.  
Illicitam planè damnat.

Ratione personarum consideratur ca-  
stitas, & requiritur. 1. In omni etatis  
statusq; hominibus. 2. In juvenibus, pu-  
ellis & omnibus non nuptis virginitas.  
3. In conjugandis requiritur reveren-  
tia in cognatum sanguinem, ne copuletur  
sanguine aut affinitate vicinior  
quam par est. 4. In conjugibus fides con-  
jugalis, ne alijs adhareant, neve se in-  
vicem deserant extra casum adulterij.

Extremum in defectu est affecta-  
ta omnis veneris detestatio, ut in Dio-  
gene, Origene, &c.

Excessus est libido, ad quam re-  
feruntur. 1. Omnis frivola seminis pro-  
fusio. 2. Scortatio. 3. Stuprum. 4. Adul-  
terium tam simplex quam composi-  
tum,

tum. 5. Incestus. 6. Sodomia. 7. Bestialitas.

Effecta: Libidinem omnem consequuntur: ignominia, pœna varia, morbi, mors repentina, nonnunquam & ni resipiscant, mors aterna: nam scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei.

Sunt qui huc choreas referunt, tanquam libidinis irritamentum. Sed distinctione opus. Aliæ enim saltationes sunt sacræ & religiose, qua in honorem Dei fiebant, ut è Davide, Juditha &c. Aliæ convivales nostro tempore plerumq; conviviorû appêdices, suntq; vel honestæ & Christianis licite, vel inhonestæ. Inhonestæ sunt leves, & impudice, quæ fiunt à personis scurrilibus & impuris in locis inhonestis, aut tempore inconvenienti. Hæ merito damnantur. Nam 1. sunt reliquæ Ethnicismi. 2. Levitatis notæ & irritamen-  
ta

ta libidinis. 3. Malorum fontes, ut sunt  
stupra, cades &c. 4. Ethnicis etiam in-  
visa nonnullis & punita; multò magis  
Christianis.

Honestæ fiunt à personis honestis  
& verecundis in loco honesto (præser-  
tim publico in præsentia honestorum)  
tempore convenienti, non alijs labori-  
bus præsertim sacris destinato; modo  
decenti, non impudicis circumgyratio-  
nibus & strepitu furioso.

He non simpliciter illicite. Nam 1.  
Scriptura meminit saltationum Eccl.  
3. quas tamen nussiam prohibet. 2. Sa-  
nitati profunt dum & animus refocil-  
latur, & corpus quietis nimie atq; com-  
potationum liberatum motu mediocri  
quasi vivificatur. 3. Splendor comitatis  
in moderatis apparet Choreis, ut habet  
Casus. 4. Quedam honoris gratia du-  
suntur, ut dicebat Imperator Frider. 2.  
Ab honestis ergo honestè fieri possunt.

D 5

Im-

*Impiis autem & impuris nihil est pu-  
rum.*

*CAP. V.*

*De Fortitudine.*

**F**ortitudo est virtus moralis  
servans mediocritatem circa  
timorem & confidentiam in ijs  
quæ terribilia sunt, publicæ utili-  
tatis & honestatis causa.

*Definitum à ferendo dictum (peri-  
cula videlicet & labores) non hic su-  
pernaturalem & caelestem denotat for-  
titudinem, ad tyrannidem quamvis  
perferendam, ut fuit in Mose contra  
Pharaonem, in Johanne contra Hero-  
dem, in Apostolis & Martyribus pluri-  
mis, qui fortiores quam qui in bello pro  
patria occumbunt; nec naturalem il-  
lam, qualis in leonibus, equis &c. sed  
moralem, ut habet Genus.*

*Objectum internum est metus  
& confidentia.*

*Ex-*

Externum est generale vel speciale.

Generale sunt terribilia seu formidabilia, mala & adversa quae praeter meritum & culpam accidunt nostram, ut paupertas, captivitas, exilium, amicorum penuria, vulnera, morbus &c. quae tamen metuenda, si ob culpam nostram contingant. Alia verò mala sunt quae ab omnibus metuenda, ut omne scelus & sceleris poena &c.

Mala verò quae corpus & vitam petunt, sunt majoris fortitudinis: quoad reliqua difficilius est secundas res moderatè ferre. Sic mala & pericula subitanea fortioris est animo magno perferre, quàm praevisa.

Speciale est mors (praesertim bellica pro patria & publicae utilitatis gratia) quae homini, non ut Christiano, sed ut corpori animato conservationem expetenti maximè est terribilis. Et praeterea 1. difficillima ob certamen,  
2. Pul-



2. Pulcerrima ob decorum. 3. Celeberrima propter famam. 4. Honestissima propter causam videlicet defensionem patriæ, religionis, libertatis, parentum, liberorum &c. Est ergo mors viro forti delectabilis respectu cause, subjecti & finis; tristis autem & dolorifica consideratione officiorum virtutis, quibus privabitur, ut amplius patriæ carissima inservire nequeat.

Bellum porro Christianis licitum esse justis causis positis, & vim vi repellere, patet. 1. Natura feris, & mos gentibus dicitur injuriam illatam propulsare. 2. Licet defendere patriam, amicos &c. 3. Bellum continet multos mala meditates in officio & intra limites. 4. Publica vindicta seu bellum justum in scripturis passim à Deo precipitur: imo bellandi præcepta à Deo ibidem traduntur. 5. Et sanctorum pluri mi bella gesserunt.

Due-

Duellum ~~autem~~ neq; gladiato-  
ribus concedendum; neq; in bel-  
lo tuto committitur eo fine ut uno  
vincente universa firma sit victoria.  
Licet enim in sacris exempla prostant  
& apud Romanos, & olim apud nostra-  
tes Danos, teste Saxone; hodie tamen  
mos ille merito deserendus: quo in usu  
sunt sclopeta & bombardae; ut vir for-  
tissimus jam à cacula aliquo occidè  
queat. Et quid est totum aliquod im-  
perium unius virtuti & fortune com-  
mittere?

Finis in definitione ponitur Ho-  
nestum & publica utilitas. His de  
causis ferenda pericula, non gloriola  
aut lucelli. Vnde negat rectè Philoso-  
phus fortes dicendos, qui lucri gratia  
militant. ~~Interim militum mercena-  
riorum opera est utilis, & licitum et-  
iam militare ei qui non subiectus est  
magistratui belligeranti, cum exem-~~  
pla

pla passim in scriptura habeantur.

Officia viri fortis sunt: imperterrito animo esse in maximis malis, omnia peragere cum consilio, non temerè, cupiditate, ira &c. Expectare hostem, aggredi periculum cum prudentia, sustinere aciem, adversarium fugare; & (quod tamen minus forti competit) fugere, si recta ratio jubet, & praesens vitae periculum. Si enim damnum accederes Reipub. ex tua morte; vitam salvabis: nam ita qui fugit, ad pugnas ille redire potest. At si damnum ex fuga; praestabit mori.

Excessus est duplex. 1. Insana omnis metus vacuitas; ut qui non metuit fulmina, tonitrua, terrae motus, prodigia &c. In quibus non relinquitur fortitudini locus. 2. Audacia vel praecipuus animi impetus in pericula sine ratione, qualis in arrogantibus, qui quum imminent pericula, timidi sunt, &

& Martem in fugacibus habent pedibus. Est tamen Audacia timiditate potior. Nam 1. Hac Reipub. magis nocet, quippe qua nihil audet pro patria aggredi, dum interim audaces fortuna juvat, timidosq; repellit. 2. Audacia facilius corrigi potest: Estq; fortitudini vicinior: audax enim omnia adire jubet pericula, timidus nulla, fortis quedam.

Defectus est timiditas seu ignavia, cum quis metuit pericula honesta que non debet. Hac cum nimia est, fit desperatio, ad quam (nevtiquam ad fortitudinem; ~~non enim pœna sed causa facit martyrem aut fortem~~) referenda.

Αὐχρησία, cum quis metu maioris mali sibi manus violentas infert, adeoq; 1. Non respicit honestatem, sed mortem tanquam majus bonum pra malo eligit alio, quod a-

lia

lia via se effugere nō posse putat, quam  
morte sua. 2. Facinus omnibus ignomi-  
niosum committit & homicidium. 3.  
Publicam societatem imminuit. 4. In  
naturam peccat, quæ sui vult conser-  
vationem. 5. Non dignè & dignis mo-  
dis mortem subit.

Divisiones fortitudinis sunt va-  
ria. Alia enim est domestica seu toga-  
ta, alia bellica. Illa animum presen-  
tem præstat in rebus adversis & prospe-  
ris, in pace potissimum eminens. Hæc  
est vera vel apparens. De vera su-  
pra actum hætenus. Apparens, fi-  
cta seu adulterina, est qua impellitur  
quis ad pericula apparente & specioso  
aliquo nomine. Estq. 1. Civilis seu po-  
litica dicta, spe honoris aut metu igno-  
minia. 2. Servilis & coacta, pœnæ  
formidine, ut in servis, mancipijs, &  
militibus nonnullis coactis & angusta-  
tis, cum fuga non datur locus. 3. Ira-  
cunda

~~cunda seu violenta, pendens à metu  
& perturbatione animi, irâ, odio, cupi-  
ditate vindicta &c. sine certo consi-  
lio. 4. Militaris vel experimenta-  
lis pendens ab usu & experientia atq;  
spe prædæ. Hinc veterani milites tyro-  
nibus animosiores. 5. Fiduciaria, pen-  
dens à præsentia presidiorum & auxi-  
liorum. 6. Inertia, quæ pugnat ex igno-  
rantia periculi, donec fugam tandem  
arripiat.~~

## CAP. VI.

### De Liberalitate & Magnificentia.

Coniunguntur hæc duæ virtutes,  
quia differunt tantum secundum  
magis & minus.

Est enim Liberalitas virtus mo-  
deratrix minorum vel medio-  
rium facultatum; Magnificentia  
majorum. Vel: Est mediocritas cir-  
ca pecunias.

Liberalitas dicta, quod homine libe-

ro sit dignissima est virtus cujus actus  
est uti pecunijs.

Objectum propinquum vel inter-  
num est amor vel appetitus pecuniarum.  
Remotum vel externum sunt ipse pe-  
cutia: non hæc tantum, sed quicquid  
pecunia æstimari potest; etiã cum quis  
operã, officijs & consilijs suis alteri pro-  
dest; Græcis γενναία. Circa hæc ver-  
satur liberalis ratione vel γενόσιος vel  
κλήσιος. Usus possessioni præstat: Ideo  
liberalitas potius in dando, quàm acci-  
piendo occupatur. Dare enim est diffi-  
cilius, præstantius, laudabilius, & juxta  
omnes, liberalius.

Ufus consistit in largitione & sum-  
tu. Sumtus impendantur ubi honestè  
fit; parcatur ijdem, ubi non necessarij.

Quoad dosin, attende modum & fi-  
nem cum Aristotele. Et in modo 1. Per-  
sonam: Danterem, quæ erit prompta, hila-  
ris, & collati beneficij immemor, non ex  
pro-

probratrix: Accipientem; qua sit digna,  
& vir bonus quicumq<sup>s</sup>, maximè nobis  
junctus sanguine, terrâ &c. benè de no-  
bis meritis &c. 2. Quantitatem, ratio-  
ne dantis; det pro modulo & facultati-  
bus. ~~Pauper enim de suis dans propor-~~  
~~tionaliter, liberalior esse potest divite~~  
~~plura dante quidem, sed non proportio-~~  
~~naliter.~~ Vide exemplum viduae Luc. 22.  
Ratione accipientis respicienda est cu-  
jusq<sup>s</sup> status & dignitas; plus enim dan-  
dum consanguineo, bono, pauperiori  
&c. 3. Qualitatem: beneficia pro sine  
accipienti. 4. Tempus cum res postulat;  
~~Qui cito dat, bis dat.~~ &c. 5. Locum, qui  
sit ex honestatis præscripto.

~~Finis in dando est honestas sola.~~  
~~Non ergo sunt liberales qui dant~~ 1. Ad  
~~ostentationem.~~ 2. ~~Vt majora reportent.~~  
3. ~~Ad favorem conciliandum.~~ 4. ~~Vt li-~~  
~~beretur à petentis importunitate, ne vi-~~  
~~deatur inhumanus.~~

Κησις



Novus consistit in acquisitione & con-  
servatione. In hac: cavendo as alienū,  
temerarias fidejussiones &c. In illa: 1.  
Non per fas & nefas acquirat. 2. Non  
sit importunus in postulando. 3. Augeat  
rem familiarem non animo ditescendi,  
sed ut alijs queat benefacere, 4. Benefa-  
cturus de suis largiatur, non de alienis.

Extremum in excessū & ratione  
remotus est prodigalitas, vitium in  
nimis dando, & parum aut inhone-  
stum recipiendo. Est tamen laudabilius  
quam avaritia. Quia 1. Liberalitati  
similius. 2. Nonnullis largitionibus uti-  
lis est prodigalis. 3. Et stultitia atq; sim-  
plicitate magis quàm malitia peccans.  
4. Citiusq; sanari potest quàm avarus,  
accedente videlicet atate vel egestate.  
Prodigalitas n. magis est juvenum ne-  
scientium quid valeat nummus, sed fa-  
cilius corrigibilium; avaritia est se-  
rum magis, qui non flectuntur.

Est

Est autem avaritia vitium in ni-  
mum accipiendo, vel retinendo,  
vel utroq; Estq; plurimorum radix  
vitiarum, perjurij, contemptus verbi  
Dei, homicidij, adulterij, furti &c.  
Vitetur ergo nimius divitiarum appe-  
titus. Interim Divitiæ per se nullæ  
nocent aut illicitæ sunt: Nam 1. sunt  
donum Dei, quo sancti patres multi  
non caruerunt. Et Deus Salomoni eas  
promittit cum sapientia. Et benedictio  
Dei divites facit. 2. Aristoteli sunt  
instrumenta felicitatis politica, & ex-  
ercenda liberalitatis.

Magnificentia est virtus in ma-  
gnis sumptibus erogandis. Obje-  
ctum sunt sumptus non mediocres, ut  
in liberalitate, sed amplius & honorifi-  
ci, majores in Rege quàm principe, co-  
mite quàm nobili &c. Vir ergo magni-  
ficus esse non potest ex plebe, sed prin-  
ceps, sanguine clarus, in summo of-  
ficio

ficio constitutus, divitijs affluens honestè partis, Quamobrem meretricula non potest esse magnifica, licet sumtùs expendat magnos.

Magnificentia eadem præcepta sunt, quæ supra liberalitatis, sed in majori perfectione.

Effecta vel opera magnifici sunt pulcra, splendida, durabilia, utilia: ut templa, redit9 Ecclesiastici, Academia, Nosocomia, arces & propugnacula, portus, porticus, pōtes, naves, armamentaria &c. Itim privata edificia, supellex aurea, argentea, gemma, vestes &c.

Excessus est luxus & inepta splendoris affectatio, vitium in nimis magnis sumtibus erogandis, non honestatis causa, sed delectationis, ut in Cleopatra: Itim cum opus sit abs q̄q̄ elegantia, gratia, duratione &c.

Defectus, fordes. Sunt autem extrema magnificentia deteriora, quàm  
li-

liberalitatis. Nam 1. Peccant in publi-  
cum commodum, & interitum Reipub.  
afferunt. 2. Conspectiora sunt.

CAP. VII.

De Modestia & Magnanimitate.

Conjunguntur & hæc due, ut prio-  
res, differentes tantum secundum  
magis & minus. Modestia enim obje-  
ctum sunt honores parvi & mediocres;  
magnanimitatis magni.

Est n. modestia virtus in parvis  
vel modicis honoribus rectè ex-  
petendis vel contemnendis.

Defectus est contemptus hono-  
rum præter modum & rationem, et-  
iam nobis debitorum saniorum iudicio  
& divino mandato.

Excessus est ambitio vel arrogan-  
tia, quando honores mediocres nimium  
& præter rectam rationem expetimus.

Modestiae cognata est Humilitas  
Christianorum, vel animi demissio,  
quâ

quã quis propria modeste extenuat, &  
submissè se gerit, ac interdum aliquid  
de jure suo remittit in Dei gloriam &  
Ecclesie commodum.

Magnanimitas est virtus in ma-  
gnis & debitis honoribus.

Aliàs nonnunquã sumitur pro ma-  
gnificentia, itim fortitudine insigni.

Excessus est superbia vel fastus  
quando quis indignus magnos affectat  
honores, res suas secundas jactat. &c.

Defectus Pusillanimitas, re-  
spuens honor jures debitos.

Officium magnanimi prima-  
rium est magnos honores convenienter  
& modo decenti expetere vel contem-  
nere. Secundarium est, moderatè  
versari circa opes & potentiam, quæ  
honorem ex parte amplificant.

Magnanimitatem autem non tollit  
politicam Humilitas spiritualis.

Sed objectum presentium virtutum  
explicandum, quod Honor. Ho-

*Honor est primum virtutis, tributum viro bono ob honestatem à congruente ejus judice, ut ejus virtus refulgeat, ceteriq; ejus exemplo ad virtutem inviterentur.*

*Materia honoris est multiplex, qua in signum virtutis tribuitur.*

*Efficiens est judex competens actionum virtutis, vir probus, presertim princeps & magistratus. Et ad solidum honorem sufficit unius probi & prudentis viri testimonium, cum una sit vox omnium proborum, At ad honoris, illustrationem multorum requiruntur testimonia. Vir ergo pravus & improbus cum judicium honesti & viri boni non habeat, probos & bonos honorare non potest. Honor enim est actio proba, qua est honorantis & conferentis: Unde Aristot. dicit honorem esse magis honorantis quam hono-*

E

rati

cati. Est tamen etiam honorati, 1. Tanquam causa impellentis & commoventis honorantem seu causam motam, 2. Tanquam illius premium, fructus & signum, 3. Recipitur in honorato, non in producente, 4. Contraria, videlicet infamia & vituperium sunt recipientis non dantis. Qua contraria uti fugere licet ita Honorem appetere concessum est. Nam  
1. ita distinguitur homo à pecude. 2. Honos alit artes. 3. Iustitia est sua unicuique tribuere, 4. Natura etiã membra corporis aliqua honoratiora fecit. 5. DEUS honorem precepit in quarto precepto.

CAP. VIII.

De Mansuetudine.

**M**ANSUETUDO est virtus servans mediocritatem circa iram.

Dicitur alijs clementia, placabilitas, humanitas.

Objectum internum est ira qua  
est

est affectus cum vindicta cupiditate, ex  
contemptu nostri vel nostrorum ortus.

Externū, quod iram potest concita-  
re, ut injuria, contemptus, convitia, da-  
mna &c.

Officium mansueti in genere,  
est iram cohibere. In specie, rationem  
habere. 1. Personarum. Irascendum  
enim improbis & sceleratis, non sup-  
rioribus, non benè de nobis meritis, non  
veniam precantibus &c. 2. Causarum.  
Ire justæ sint cause, facientes ad destru-  
tionem cultus divini, fama, patria, a-  
micorum. 3. Temporis & loci. Non ira-  
scendum diu, non inconvivijs, serijs  
consultationibus &c.

Defectus dicitur Lentitudo vel  
ira vacuitas: cum quis non irascitur  
quibus personis & quibus de causis ira-  
sci debet: adeoq; occasionem dat securi-  
tati & morum dissolutioni.

Excessus est iracundia, cujus

E 2

tres



tres species. 1. Excandescencia,  
cum citò ob leves causas, aperteq; iras-  
cuntur, subitoq; placantur. 2. Ama-  
rulentia, cum tardè irascuntur, sed  
semel conceptam iram fovent occultè,  
& vindictam belvino more sequun-  
tur, & occasionem ulciscendi, nisi diur-  
turnitate temporis ira sit concecta: &  
ibi deteriores. 3. Crudelitas, savitia  
& animi asperitas, ut in tyrannicis ho-  
minib; cum gravius & diutiùs quàm  
oportebat, irascuntur.

Ira autem legitima viro bono licita  
est tanquam eos fortitudinis excitans  
animos ad res magnas. Ita in sacris  
fortissimi & sanctissimi irascuntur  
Jacobus, Moses, David &c.

In his extremis lentitudo iracundiã  
prastabilior est: Nam hac frequentior  
est, & magis civilem conversationem  
impedit, dum animos distrahit. Man-  
suetudo autem virtutibus homiliticis  
affinis est, qua jam sequuntur. CAP.

COMitas est virtus homilitati-  
 ca in conversatione seriâ ho-  
 nestè oblectans. Vel: quâ verbis  
 honestè officiosis & amicis sine fuco u-  
 timur. Alijs dicitur comitas, familia-  
 ritas, affabilitas, humanitas, popula-  
 ritas, facilitas.

Objectum internum sunt animi  
 voluptates & dolores ex rebus foris  
 quotidiana hominum conversatione.

Externum est communio dictorum  
 & factorum in eadem.

Finis est honestas cum utilitate.

Officia viri comitis vel humani  
 sunt. 1. Esse promptum & facile in di-  
 ctis & factis servato honesto. 2. Uti  
 verbis amicis. 3. Rationem habere per-  
 sonarum: prestantiorum, quib. auscul-  
 tandum; aqualium, quibus consenti-  
 endum; minorum, quibus modestè per-

E 3.

sua.

suadendum. 4. Alterius dicta & facta  
si approbare jure nequit, monebit mo-  
deste, non assentabitur.

Excessus est Blanditia, vel nimi-  
um placendi studium, quando quis o-  
mnia laudat; & adulatio Gnatho-  
nica, cum quis lucri causa blanditur.

Defectus est Morositas & vio-  
lencia, quando nemini placere cupi-  
mus, & dicta facta q̄ aliorum bona &  
recta improbamus.

CAP. X.

De Urbanitate.

**U**RBANITAS est virtus homili-  
tica in conversatione jocun-  
da, quâ rectè jocamur & aliorum  
jocos ferimus. Vel: quâ concinnis  
& honestis dictarijs ad hilaritatem  
excitandam in jocundioribus congressi-  
bus jocamur.

Excessus est scurrilitas parasi-  
tica, id est, intempestivum & immode-

KAL 1673

ratum studium movendi alijs risum.

Defectus rusticitas, cum quis non commodè & cum gratia jocos profert, sed tardè vel insulse: nec equo animo alios jocantes perfert.

Subjectum ubi haec virtus locum habet, sunt jucundi egressus, praesertim convivium: non enim jocandum in templo, curia &c.

Objectum sunt ludi & joci circa quos etiam virtus versari potest, quatenus queritur relaxatio animi. Sed ludi & joci sint. 1. Honesti ac liberales. 2. Moderati. 3. Absq; virulentæ dicacitate, scommatibus, convitijs &c. 4. Absq; offensione audientium, imprimis juniorum. 5. Tempore fieri convenienti, non exequiarum, belli, &c. 6. Ratio habeatur personarum. Aliter n. jocandum cum principe quam plebeo; aliter cum sene & docto, quam juvene, imperito &c. 7. Jocandum non affe-

statè & coactè, sed naturali quadam  
gratiâ: qua si desit, legantur autorum  
variorû facietia, & pro jocos narrentur.

C A P. XI.

De Veritate & Taciturnitate.

- ” **V**ERITAS vel veracitas (alijs can-  
dor, severitas, integritas &c.)  
” Est virtus homilitica, quâ id quod  
” in corde sentimus, ore, verbis,  
” & actionibus profitemur.

*Accipitur hic vox veritatis non Me-  
saphysicè pro convenientia rei cum in-  
tellectu; nec logicè pro convenientia  
propositionum cum rebus; sed Ethicè  
pro habitu virtutis; quo sermones, ge-  
stus, & actiones nostrae in se habent i-  
maginem affectuum, cogitationum &  
volitionum nostrarum. Potes enim  
quis falsum dicere logicè, &c. non E-  
thicè, & vice versa. Hinc aliud est  
Mentiri, aliud Mendacium di-  
cere. Mentiri dicitur, qui contra con-  
scien-*

scientiam & mentem suam loquitur id  
quod fortè alias in se verum est; id est,  
dicit falsum. Ethicè non logicè semper.  
Mendacium dicit qui loquitur illud  
quod verum esse putat, cum in se sit fal-  
sum. Hic non mentitur, id est falsum  
non dicit. Ethicè sed logicè.

Fundamentum veritatis esse potest  
vel naturale, cum oratio dicitur esse  
mentis index vel divinum, quia DEUS  
est ipsa veritas, & veritatem omnes  
vult sectari.

Objectum primarium est verum.  
Secundarium, est communicatio dicto-  
rum & factorum in quotidiana homi-  
num conversatione.

Veritati in specie & particulari-  
ter opponitur, quoad excessum à γ.ω. -  
ζορεία quando quis ea quæ non habet σι-  
βι arrogat; quoad defectum ἐγγορεία, &  
cum quis id quod habet dissimulat. Vi-  
ro autem homo simulare & dissimulare.

E. S.

nov.

non licet in fraudem proximi (at licet  
joci causâ, ad utilitatem proximi, ad  
divina gloriam amplificandam) con-  
tradicit enim omnis sana ratio, omnis  
sapiens antiquitas, imo ipse DEUS dete-  
statur mendaces & bilingues. Valeant  
ergò Pseudo politici moderni, quibus  
artificiosum est, aliud ore efferre, aliud  
corde volvere, magnatum placitis se  
accomodare, temporis servire &c. Te-  
neatur potius hac regala: Melius est  
pro veritate pati supplicium, quàm pro  
adulatione beneficium.

In genere autem veritati opponi-  
tur Mendacium, quod in judicijs  
dicitur falsum testimonium, falsa de-  
fensio vel falsa sententia.

Est autem mendacium 1. Joco-  
sum, joci & delectandi causâ, non de-  
cipiendi. 2. Officiosum, quod non-  
nullis predest, bonis non obest: Quale  
in Rebecca, Jacobo, Josepho, obstetrici-  
bus

bus Aegypti, Rachab, Jehu, &c. Atq;  
hoc dici non potest peccatum, cum non  
fiat animo & habitu mentiendi, sed  
proximum iuvandi. Unde factum Ra-  
hab & obstetricum Aegypti ex fide pro-  
fectum asserit scriptura. 3. Pernicio-  
sum, quod proprie mendacium, cum  
quis falsum studio profert contra pro-  
ximum, fallendi ergo: qualia Gnatbo-  
num, Thraſonum, &c.

Veritatis summa confirmatio dicitur  
juramentum (eo quod pro jure &  
lege habendum sit quod juratur) item  
jusjurandum, quasi Iovis jurandum.

Jurare autem omnino licet. 1. In  
causa religionis & vera doctrina, quã-  
do de D<sup>E</sup>i gloriã agitur. 2. Charitatis  
gratia privata vel publica inter regna  
& respubl. 3. In veritate. 4. In justitia.  
5. In iudicio ex rei ratione & necessita-  
te vocatione exigente, aut magistratu,  
imponente. 6. Quando omnis humana  
probatio cessat. Nam

Nam



Nam 1. Causa modo dicta postulant.  
2. Juramenta per nomen DEI oportune  
facta sunt mandata in scriptura. 3. Et  
DEus ipse & sancti aliquoties jurasse  
leguntur.

» Est autem juramentum invo-  
catio DEI, qua petimus ut sit te-  
stis nostrae asseverationis & pu-  
niam fallentem.

Dua ergo juramenti partes. 1. DEI  
invocatio pro veritate. 2. Nostra im-  
precatio. si fallimus. Pejorare autem est  
id non facere, quod ex animi sententia  
juraveris: nam proprie perjurium non  
est, si qui jurat, id verum putat, sed qui  
falsum scit, tamen jurat.

Finis juramenti est controversiarum  
terminatio & charitatis stabilimentum.

Id per quod jurat Christianus,  
aliud prater Dominum esse non debet.  
Nam 1. Per cuius nomen juras, ejus ag-  
noscis veritatem & justitiam. 2. Jura-

men-

mentum spectat ad secundum praeceptum decalogi. 3. In scriptura prohibitum est jurare per creaturas, idola, res factitias & fictitias &c.

Si tamen Christiano negotium sit cum Ethnico jurante per sua idola; hoc juramentum admittere poterit. Nam 1. Ethnici suis idolis magnam praestant reverentiam, & detestantur perjuriū. 2. Aliter Ethnicus confirmare non potest suam veritatem. 3. Jacob admisit juramentum à Labano idololatra praestitum per DEUM Nachor. Unde indubie jus civile concessit peregrino per suos Deos jurare, civi per suos. 4. Quia Ethnici, Judaei, Turcae &c. falso jurantes perjuri fiunt, & à vero Deo puniuntur. Haeret n. in animo pejerantis idololatra offensi numinis opinio, & DEUM esse putat suum idolum. Unde Augustinus: Prorsus perjurus es, quod per id quod sanctum putas, falso juras. Hinc

pa-

pœnas & in pejerantes, & eorum posteritatem dimanasse atroces, testantur historia.

Quocirca strictè servandum iuramentum etiam vi vel fraude extortum, etiam hosti datum, v. g. à latrone spoliante: modo sit de re licita, possibili, verbo DEi & bonis moribus non contraria: Exemplo Josua qui à Gibeonitis deceptus, fidem tamen servare voluit; & Zedechia, qui ob violatum pactum quod metu periculi pepigerat cum Nabuchodonosore, graviter punitus; & eorum qui in desperationem inciderunt, cum non servarunt: præsertim cum ius divinū omne mendacium & perjurium probibeat: & ius humanum suadeat ius esse fidem servare ei cui ius est dare.

Officia viri veracis, candidi & sinceri sunt. 1. Sit justus & bonus, qui veritatis amore, non lucrī causa verum di-

di-

dicit. 2. In dictis & factis sit per omnia  
sibi similis. 3. Et sua non multum ja-  
ctans. 4. Non curabit veritatem odi-  
um parere. 5. In rebus contingentibus  
& mutabilibus adijciat has formulas :  
quantum mihi videtur, quantum mi-  
hi constat &c. 6. Verum semper dicat  
quando obligatur, talibus personis, ta-  
li tempore, in tali causa &c. 7. Aliàs  
cum non tenetur verum dicere illud,  
ad quod tacendum per leges vel con-  
scientiam obligatur, non violabit le-  
ges taciturnitatis.

Est enim Taciturnitas virtus,  
quâ arcana nobiscum conti-  
nemus, quæ repræhensionem  
rectè judicantium incurrere pos-  
sunt. Et distinguitur à nonnullis  
in honestam & necessariam. Hanc  
vocant quâ sine Dei contemptu & pu-  
blici boni dispendio, cognita nobiscum  
retinemus, ne in perniciem alterius di-  
cul-

vulgentur. Illam: quã linguam tantisper continemus, donec conveniens loquendi locus detur. At juniores & inferiores inter superiores expectabunt loquendi occasionem, ut quando compellantur, vel alij finem sermonibus imponunt.

Excessus est garrulitas, alijs loquendi locum non concedens. Defectus infantia; cum quis instar stipitis, quando opus est, non loquitur aut respondet.

#### CAP. XII.

De Semivirtutibus in specie, nempe continentia & Tolerantia.

**I**N genere de his actum est part. Com.  
Cap. 9.

Continentia est virtus imperfecta, vel dispositio proba sequens rectam rationem, ut dominium hæc obtineat in voluptates & cupiditates licet reluctantes.

Ac 5-

Accipitur uox continentia hic modo  
do medio profrano prauarum concupi-  
scientiarum uel repugnantis appeti-  
tus. Aliàs accipitur 2. modo lato & ge-  
nerali pro temperantia.

At differunt intemperantia  
& incontinentia. 1. Tanquam ha-  
bitus à dispositione. 2. Temperantia  
~~versatur tantum circa voluptates gu-~~  
~~stus & tactus: Continentia circa omnis~~  
~~generis sensuum.~~ 3. Temperans agit con-  
sulto, ~~ex plena uoluntate, habetq; cupi-~~  
~~ditates moderatas ad rectam rationem:~~  
~~Incontinens uandum planè domitas.~~ 4.  
~~Intemperans incontinente est deterior~~  
~~ob habitum & diurnitatem uisij, id-~~  
~~eo incurabilis est, & à leuissimis abri-~~  
~~pitur voluptatibus: Incontinens non~~  
~~nisi à uehementiaribus; & facile sa-~~  
~~nari potest.~~

Tertio accipitur strictè à Theologis  
pro abstinentia ab omni delectatione

uene-

venera; quod donum continentia non  
omnes qui volunt, habere possunt: ut  
liquet experientia, & 1. Cor. 7. cum sit  
extraordinariū & peculiare Dei donū.

Differt continens à pertinace: Ille meliore rationibus cedit. Hic  
nulla ratione à proposito etiam malo  
dimoveri se patitur, estq; Aristoteli in  
triplici discrimine. 1. Qui obstinatè su-  
am sententiam defendit. 2. Indoctus,  
qui licet defendere nequeat opiniones,  
ijs tamen adheret. 3. Rudis & agrestis  
perseverans in consuetis sive bonis sive  
malis opinionibus, aliorum rationes  
nec audire nec intelligere volens.

Objectum continentia primari-  
um, sunt voluptates corporis vel sen-  
sum. Secundarium, sunt volupta-  
tes ex divitijs, honoribus cupiditate  
vindictæ &c. Unde dicitur continens  
vel incontinens ira, concupiscentia,  
vindictæ &c.

EST

*Est verò incontinens concupiscentiæ deterior quam incontinens iræ. Hic enim magis sequitur naturalem corporis dispositionem ex abundantiamabilis &c. nec ita dolo & insidijs rem agit; verum aperte, nec ita totus ambulat secundum sensum & sensui grata.*

*Extremum in defectu nomine caret, & vix reperitur, cum quis plane fugit omnes voluptates.*

*In Excessu dicitur Incontinentia.*

*Tolerantia seu patientia est virtus imperfecta vel dispositio proba, rectam rationem sequens, quâ homo honestatis causa res adversas cum quodam dolore perfert, repugnante videlicet irascendi appetitu.*

*Differt à fortitudine. 1. Ut dispositio ab habitu. 2. Versatur circa pericula & mala imposita, quæ depelli non possunt.*



sunt : fortitudo etiam circa aduenda  
pericula.

Objectum sunt dolores, qui per-  
ferendi.

Extremum in genere est Impatien-  
tia. In specie, Excessus dici potest per-  
tinacia vel obduratio nimia in per-  
ferendis doloribus sine honestatis ra-  
tione. Defectus Mollities, qualis  
in Sardanapalo; vitium nullos dolo-  
res aut labores hone-  
statis gratiâ per-  
ferens.



INI

# INDEX CAPITUM.

PROE MIUM DEFINITIONEM ET DIVISIONEM ETHICES continet, simulq; differentiam Ethica & Theologiae, nec non virtutum Ethicarum & Christianarum.

## PARTIS COMMUNIS.

- Cap. 1. Agit de summo bono civili, seu beatitudine politica.
- Cap. 2. De ejus signo Voluptate.
- Cap. 3. De actionibus humanis, earumq; requisitis & principijs. Ubi de consultatione, Electione, libero arbitrio &c.
- Cap. 4. De Affectibus in genere.
- Cap. 5. De amore & Desiderio. itemq; de Amicitia.
- Cap. 6. De odio & Ira, spe & Metu, Lætitia & Tristitia.
- Cap. 7. De definitione virtutis morae.

Moralis, & justitiæ Univer-  
salis.

Cap. 8. De Divisione virtutis mo-  
ralis, ubi simul de virtutibus Ho-  
moticis in genere.

Cap. 9. De gradibus Virtutum  
moralium, vel de perfectione & im-  
perfectione earundem. Ubi de Semi-  
virtutibus in genere; de virtute He-  
roica & nobilitate &c.

Cap. 10. De oppositis virtutis mo-  
ralis & Heroica, nempe malo mo-  
rali seu vitio in genere, deq; igna-  
via & feritate.

PARTIS SPECIALIS.

Cap. 1. De justitia in genere, &  
de Distributiva in specie, ubi  
simul de jure talionis.

Cap. 2. De justitia commutativa,  
ubi de contractibus, furto & jurâ.

Cap. 3. De jure & injuria.

Cap. 4. De Temperantia, ejusq;  
spe

*speciebus, abſtinentia, ſobrietate, caſtitate &c.*

Cap. 5. De Fortitudine. *ubi de Bello, Duello &c.*

Cap. 6. De Liberalitate & Magnificencia. *Ubi de Avaritia, prodigalitate, Luxu &c.*

Cap. 7. De Modestia & Magnanimitate, *ubi ſimul de Honore.*

Cap. 8. De Manſuetudine, *ubi de ira & iracundia.*

Cap. 9. De Comitatu.

Cap. 10. De Urbanitate, *ubi de ludis & jociſ.*

Cap. 11. De Veritate & Taciturnitate. *Ubi de Mendacio, ſimulatione, juramentis, &c.*

Cap. 12. & ult. De Semivirtutibus *in ſpecie, nempe continentia & Tolerantia. Ubi ſimul de Perſeuerantia, Patientia, &c.*

**F I N I S.**













R. Heydtmann.



Finis DEI  
num utilitas. Omnia  
corpora in mundo  
data sunt. Et cum  
nem boni, Mundus  
fectus ratione quam  
virtutis, figure, diff  
varietatis specierum  
Affectiones  
do, que finita est  
tia.

2. Numerus.

Licet plures per  
esse potuerunt, poss

3. Ubi finitum

finitam. Locus autem  
non competit; qui  
ud corpus continen

4. Tempus, ut

tio mundi in tempo  
eternum statuere,

omi-  
nino  
n cō-  
tio-  
per-  
atis,  
tus,  
itu-  
gen-  
s est;  
tiam  
inem  
undo  
n ali-  
a est.  
Crea-  
enim  
rodu-  
cie



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. \_\_\_\_\_  
Patch Reference numbers on UTT